Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Anton Haen de


Antonii De Haen Consilarii Avlici, Ac Medicinae Practicae, In Alma Vniversitate Vindobonensi, Professoris Primarii, Ratio Medendi In Nosocomio Practico

Pars Quarta

Editio Altera, Vindobonae: Typis, Joannis-Thomæ Trattner, M.DCC.LX

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972

Band (Druck) Freier Zugang



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0001
DFG

H. St. V
115
(4-5)

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0002
DFG

Bouchholtz



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1776343972/phys_0003
DFG

ANTONII DE HAEN,

CONSILIARII AVL. ET MED. PRACT. IN HAC ALMA ET ANTIQVISSIMA VNIVERSITATE PROFESSORIS PRIMARII

PARS QUARTA
RATIONIS MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO;
QVOD IN GRATIAM ET EMOLVMENTVM
MEDICINAE STVDIOSORVM
CONDIDIT

MARIA THERESIA,

AVGVSTISSIMA ROMANORVM
IMPERATRIX,
HVNG. BOHEM. &c. REGINA &c. &c.

EDITIO ALTERA.



HENNEMANNSCHE STIFTUNG

VINDOBONAE,
TYPIS, JOANNIS-THOMÆ TRATTNER, CAES. REG. APOST MAIEST. AULÆ AC INF. AUST. TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.

M. DCC. LX.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0005
DFG



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1776343972/phys_0006
DFG

SACRAE CAESAREAE, REGIAE, APOSTOLICAE
MAIESTATI,
AVGVSTISSIMAE ROMANORUM
IMPERATRICI,
HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE,
CROATIAE, SCLAVONIAE, &c. &c.
REGINAE,
ARCHIDVCI AVSTRIAE, &c. &c.
MARIAE THERESIAE,
DOMINAE
SVAE CLEMENTISSIMAE,

ANTONIUS DE HAEN.

En jam quartum Tomum annui laboris ad MAIESTATIS TUÆ *pedes devolutus, humillime depono. Ob-*

ſervata continet numeroſa, quæ partim Noſocomium TUUM, *partim Urbs Regia* TUA, *partim denique finitimæ* TUAE *urbes, ac regiones, ſuppeditarunt: obſervata eum unice in finem collecta, ut calamitatibus ſubditorum* TUORUM *tum averuncandis, tum mulcendis, tum deniqne auferendis, inſervirent. Eo enim, ut ſane debuit, omnis diurna mea, omnis nocturna tetendit vigilantia. At neque hic metam fixi laboribus. Quantum enim legendo aſſequi poteram, quidquid celebres per Europam Eruditorum Societates variæ, quidquid ſolertes in Arte Viri, quidquid demum privatum Literarum Commercium, ſive inſolitum, ſive plane novum, ad miſerias humanas mitigandas auferendasque evulgarant, id omne ad experimentum in Noſocomio revocatum eſt; ut nimirum Populi tui ſalus, commiſ-*

missa nobis, eo cuncto gauderet auxilio, quo & alias terrarum Gentes gaudere intellexeram. Necdum tamen omni debito satisfactum. Vetus Adagium fert Amicorum omnia communia esse: porro universæ Telluris incolas amicos nostros, nostros proximos, reputamus; eorum ergo in gratiam publicæ lucis ea facere tenebar, quæ nobis recenter detecta, alicubi forte adhuc ignorarentur. Hisce, AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, *si quo sereno vultu præcedentis conatibus meis annuere solebas, etiam num annuas, erit quod exsultem vehementer, quod gratissimo recorder animo, quod ad cursum sequentem alacrius absolvendum me potenter exstimulet.*

Dabam 31. Octobris
1759.


ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

CAPVT I.
De Febribus Malignis Dictis. Pag. 1.
CAPVT II.
De Aneurysmate. Pag. 9.
CAPVT III.
De Tympanitide, & Hydrope Cystico varia. Pag. 62.
CAPVT IV.
De Coxario Morbo. Pag. 135.
CAPVT V.
De Apoplexia, & Nervorum morbis. Pag. 175.
CAPVT VI.
De Sanguine & calore humano. Pag. 217.
CAPUT VII.
De Singulari quorundam Medicamentorum virtute. Pag. 241.
CAPUT VIII.
De Viribus Electrinis. Pag. 260.

CA-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0010
DFG



CAPUT I.

DE FEBRIBUS MALIGNIS DICTIS.

§. I. *Malignitatem de morbi cujusquam acuti essentia non esse, sed modo accidens quoddam, probatur exemplo variolarum.* §. II. *Cortice Peruviano plurimo qui olim a morbo maligno curati, valent pulcre omnes.* §. III. *Exempla duarum fœminarum, quarum alteram Cortex levavit uberrima cum Petechiarum expulsione; alteram, cum earundem præmatura retropulsione.* §. IV. *Cortex serius datus, malignitatem non curat.*

§. I. Quæ anno proxime elapso adeo fuse de Febribus, quas malignas vocant, differui, ea præ-

ſens annus confirmavit abunde; tum quantum ad genium earum attinet, tum quantum ad curam.

Quippe *Tom.* 3. *cap.* 1. frequentia obſervationum ſuffultus, concluſi Malignitatem haud eſſe, quod in ſcholis medicis ita vocant, de eſſentia Morbi, ſed quoddam potius Accidens; quod nimirum alienis illum ſtiparet ſymptomatibus, quod Artis potentiæ illum ſubtraheret. Id, niſi me animus fallit, manifeſtum eſt. Variolas v. g. deſcripturi Autores, haud ſolent ab illis, malignas quas appellitant, exemplar, normamve, deſumere, ſed a communi illarum genere. Quo facto, primo eam addere ſpeciem conſuevere, qua, licet genuina, qui laborant, tamen vix lectum petant, non ægrotent fere, & præter manifeſtam papularum expulſionem, maturationem, exſiccationem, aliud fere morbi hujus ſignum non habeant. Secun-

cundo peſſimum iſtud genus adjiciunt, quod ſymptomatum numero, ac ſævitie; quodque pertinaci adverſus omnem Artis operam reſiſtentia, ita ſua malignitate ab illa prædefinita communi ſpecie abludit, quam benigniſſimum illud bonitate, ac lenitate ſua, ab eadem differebat. Ut itaque & dicta illa Malignitas æque parum in vera idea, ac definitione Variolarum includatur, quam miranda illa Mitiſſimarum Benignitas.

Quod ſi ita cum Variolis eſt, eo magis id cum Petechiis, cum albis, rubrisque Miliaribus, ſe ſic habebit. Examine rite inſtituto, Efflorescentiæ hæ binæ 1^mo ut morbi primarii producuntur: id vero rarius, & ad certas potiſſimum Epidemias duntaxat. 2^do ut Accutorum Criſes; quod etiam raro admodum; nec niſi Regiminis errore frequentius. 3^tio ut ἐπιγενομενοὶ plerisque morbis acutis, puerperio; quæ

duo posteriora de Variolis affirmari nunquam possunt. Porro quæ tria hic dixi, audacter assevero, cum sexto jam anno huic Nosocomio præpositus, innumeros acutos morbos hic jam demonstraverim, tractaverim, & ter modo quaterve primarium invenerim, semelque modo epigenomenon. Quotiescunque vero morbum hunc primarium in Urbe, suburbiisque, inveni, Epidemico id tempore fuit, nisi semel forte iterumque sporadice. Cæterum vero, experientia multiplici fretus, repeto id, quod *Tom.* 1. & 3. *Rat. Med.* sat superque, ni fallor, evici, Morbos hosce a malo potissimum regimine proficisci, & hinc Germanis, Hungaris, Bohemis, Sclavis, Styris &c. tanta frequentia ac malignitate infames esse.

§. II. Ad relatas *Tom.* 3. *cap.* 1. curationes, id modo addendum habeo, quod omnes illi, quos Cortice Peruviano

viano abundantissimo usos ibidem enarravi, hucusque perbelle, cujuscumque demum temperamenti sint, valeant; & quibus mobilior Nervus imbellem olim valetudinem conciliasset, jam longe valentiore sanitate fruantur.

§ III. Pulcras hoc anno hujus morbi curas vidi. 30. annorum fœminæ, petechiis adeo scatenti, ut Medici alii mecum testarentur repletiorem iis se neminem vidisse, jamque maligne ab ipso principio decumbenti; consueta methodo Corticem dedimus, corticis usum a curato morbo dudum protraximus. Læti contemplabamur postquam aliquot diebus eo remedio usa esset, vires increscentes, ægramque cum abundantissima efflorescentia vix ægrotantem, & firma valetutine brevi potitam.

Contra vero æque fortunatum exemplum, cum retrocessione petechiarum, Juvencula dedit, quæ sex septimanarum

ſpatio febrium inſultu vago, univerſaque artuum laſſitudine, ſuum inter famulatum vexata, febrim deinde continuam putridam, (incertum quot diebus, octo tamen ad minimum) perpeſſa, ad nos adferebatur, multa jam ſcatens Petechia. Poſttridie iisdem repleta omnino fuit. Eo uſque nec vires, nec pulſus, nec febris, nec pravum quodquam ſymptoma, ullam faciebant Malignitatis ſuſpicionem. At vero poſt meridiem, en maligna quæque ſymptomata, cum introcurſu macularum, turmatim acceſſerunt. Cortex igitur illico datus, admota Veſicantia, Paregorica per vices ſunt porrecta. Hinc ſequenti quidem die paucus Macularum reditus, copioſior poſt meridiem, tertio autem die vix ullus; niſi quod eorum loco decem forte Miliaria alba in jugo colloque comparerent. Interim quæ paucæ ſuperfuerant petechiæ lateſcebant; quæ pau-

pauca Miliaria comparuerant, mox opaca fiebant, quarto die evanida. Vomitus eodem tempore primo æruginosus, deinde frequenter flavus, insigni aderat levamine. Porro febris, postquam integro octiduo sub tanto corticis usu perseveraſſet, cessavit, integram sanitatem post se relinquens.

In penultimo exemplo corticis sub usu confertissimæ, quæ præextiterant, petechiæ, adhuc augebantur, & extantibus hisce sanitatem jam afferri cortice lætabamur; id quod in his morbis solenne esse *Tom.* 3. *cap.* 1. pluribus exemplis demonstraveram. Ultimum exemplum omnium primum est, quod observavi, Petechiarum introversarum, nec Cortice, nec Opio, redeuntium, Miliariumque numero tam paucorum, & quarto jam die evanidorum. Æque tamen & citi, & integra, huic, quam illis, salus rediit. Nunquid introversus

humor vi corticis ad ſyſtema cæliacum determinatus, & ſic vomitu eliminatus ſuerit? Credibile.

§. IV. Quamvis porro hæc Methodus tum mihi feliciſſime cedere ſoleat, aliisque in Noſocomiis impenſe laudetur; eſt tamen quod ſero adhibita mortem non averruncet. Puella 17. annorum, cujus hiſtoria in *capite de ſanguine* habebitur, primis decem ægritudinis diebus penitus neglecta, ad nos adfertur, Petechiis in pectore plena. Conſueta quidem Methodo Petechiæ pulcre per ſex integros dies perſtitere, attamen febris continua remittens, eaque valida, die decimo ab ingreſſu ejus in Noſocomium, ſuſtulit illam. Quippe inertiores Corticis vires, quam ut humores, jam intime hac malignitate penetratos, & infectos, repurgare emendareque poſſit.

CA-

CAPUT II.

DE ANEURYSMATE.

§. I. *Cum nullus fere locus humano in corpore sit, qui Aneurysmati, interna de causa genito, sedem non præbeat, loca præcipua enarrantur.* §. II. *Varia circa Aneurysma: unicum existens duplex potest apparere; intus sæpe osseum est; loco potest mutari; est simplex ejus, & multiplex saccus.* §. III. *Anatome Aneurysmatis cordis.* §. IV. *Solutio problematum, α Cur unum Aneurysma simplicem modo tunicam, eamque tenuem, habeat? Aliud crassissimam? aliud denique & pluribus, & sæpe concentricis sibi lamellis, compositam? β Cur manu frequentius examinare haud tutum; γ Cur sæpe non pulset? δ Cur locum mutet? ε Cur licet semper præsens, tamen nonnunquam absens videatur? ζ Quare tremit aliquando?* §. V. *Curatio pallians, & curans.* §. VI. *Bini notabiles casus Aneurysmatum, quæ idiopathica haberi poterant, & modo sympathica, aut deuteropathica, erant.* §. VII. *Datur aneurysmatica totius fere corporis Diathesis.* §. VIII. *Biga Aneurysmatum a male administrata venæ sectione ortorum.* §. IX. *Aneurysmatis ejusmodi externi curatio, quandoquidem Compressione, & Interceptione perficitur, præprimis disseritur de*

Compreſſione ; tam ea , quæ apertura facta, Arteriæ immediate incumbit , quam illa , quæ externe tantum , citra aperturam , adhibetur. Prior harum , uſitata veteribus , poſtmodum neglecta , a Germanis primum , dein & a Gallis , in uſum revocata eſt , ab ultimis præterea Fungo Agarici decorata. §. X. *Curatio in Noſocomio , apertura loci , adplicatione Fungi , compreſſione externa , feliciter peracta eſt.* §. XI. *Tentamen curæ per ſolam externam compreſſionem.* §. XII. *Fouberti ſententia circa ſpuriorum Aneuryſmatum duplex genus.* §. XIII. *Reſponſum ad tria problemata.*

§. I. Cum nullus fere in corpore humano locus ſit , in quo Aneuryſmatis ſedes inventa non fuerit ; cum idem Aneuryſma ſub larva aliorum tumorum haud raro apparens , turpiter fallat incautos ; cumque demum præſens creditum , nihilominus aliquoties minime adfuerit ; frequentia obſervationum , qua inſtructus ſum , me adigit ut de hac materia fuſius agam. Ac primum quidem dico Aneuryſma ubicumque

que inveniri locorum; externa ſive cauſa, ſive interna, genitum fuerit.

1^mo In Cubito, ſeu Brachio, frequenter obſervatur a male adminiſtrata venæ ſectione.

2^do Circa Talum a cauſa interna, ut videtur, ortum, vidit, deſcripſit, *Ruiſchius* Obſ. anat. 38. „Si ſanguis in „ Aneuryſmate coagulatur, nulla per„ cipitur pulſatio. Hoc olim decepit „ Chirurgum expertiſſimum, ... mi„ hi, dum viveret, amicum familia„ rem; qui circa talum Aneuryſma, „ nucis juglandis magnitudine, aperie„ bat, neſciens tamen tumorem dictum „ Aneuryſma eſſe, quia omnis pulſa„ tio deerat. Aperto tumore, & ſan„ guine coagulato expreſſo, tanta ſub„ orta eſt hæmorrhagia, ut vix eſſet „ ſiſtendo.

3^tio In genu vidit clariſſ. *Boerhaave* in Studioſo germano, quem ſerio monuerat

nuerat

nuerat, ne unquam, quod non pulsaret, cuipiam aperiundi facultatem faceret. Fecit tamen, & periit.

4^to. In Arteria Poplitæa horrendum vidi, a saltu verosimiliter natum Crus amputandum fuit.

5^to. In Art. Femorali terribile, letale, vidi in orphanotrophio Hagano, vulnere ortum.

6^to. In Art. Iliaca, *Lancisius.*

7^mo. In Aorta mox supra illius in Iliacas divisionem vidit *Fantonus* Tom. 3. *Sepulcr. Boneti*, pag. 556.

8^vo. In Cæliaca Art. *Lancisius.* Studio omitto Aneurysma ter quater in Art. Mesenterica Equi a *Ruischio* inventum, cum hic de humano corpore tantum disseritur.

9^no. In Intercostali Art. exili *Ruischius* ter quater vidit Aneurysma, ovi gallinacei magnitudine. Vulneri originem aliquando id debet, passim vero causis internis.

10-

10mo. In Subclavia, a contusione natum, vidit Illustr. Baro *von Swieten*, Com. Tom. I. pag. 228. Subclaviæ Aneurysma homini mortem tussi, & hæmoptöe, conscivit. Anatome detexit Aneurysma hoc Aspere arteriæ accrevisse, spatium intercartilagineum erosisse, & omnem vitalem sanguinem hinc profudisse. vid. *Hist. Acad. Reg. Sc. Par.* anni 1733.

11mo. In Aorta inter primas ejus divisiones, & Cor. *ibid* ann. 1712. Etiam illud monstrosissimum *Ruischii* Obs. anat. chir. n°. 38. incipiebat digitis tribus supra cor.

Et mox supra cor incipiebat *compositum* illud Aneurysma, cujus historiam brevi dabo.

12mo. In curvatura Aortæ. *Hist. Acad. Reg. Sc. Par.* an. 1707. Aneurysma nascitur homini in collo, post enormem 5. dierum vomitum, quem

Agyr-

Agyrta, Rheumatismi discutiendi gratia, excitaverat, produxerat. *Littræus* in cadavere ejus invenit Aortam sua in curvatura in saccum dilatatam, qui media sui parte in thorace locatus, cariem ossibus creaverat; dein alia sui parte superiora conscendens, totum latus colli, ad usque maxillam, expleverat. Multos polypos, & sanguinis, tum fluidioris, tum coagulati, duas eduxit pintas. Videatur simile *ibidem* anno 1700. natum a subito flexu colli in venatu.

13^tio. In Arteria Epicrania Aneurysma vidi ovo gallinaceo magnitudine par, felici interceptioni interfui. Contusione natum erat.

14^to. Cæterum Aneurysmata inventa sunt Arteriæ temporalis, Arteriæ in Naso externo, aliis corporis partibus, ut passim inveniri potest in Sepulcreto *Boneti*, in Biblioth. Med. *Mangeti*, &c. 15^to.

15^to. Aneuryſmatica datur plurimarum eodem in corpore arteriarum Diatheſis, ut §. VII. patebit.

Unde concluſio hæc firma ſit, quod in tractandis hiſce ſumma ſit prudentia opus, cum ubique locorum exiſtentia, pathognomicis ſignis aliquando careant, facillimeque aliis cum tumoribus commiſceantur.

§. II. Atque hæc de varia ejus ſede ſufficiant; conſideranda nunc veniunt obſervata quædam de Aneuryſmate in genere; ac primo quidem obſervamus illud duplex quandoque adparere, cum tamen vere unicum ſit. Egregius *Morand, Hiſt. Acad. Reg. Sc. Par.* ann. 1721. tumorem aneuryſmaticum detexit alteram inter tertiamque Coſtam; alium iterum tumorem ſimilem inter tertiam & quartam. At in cadavere unicum modo eſſe reprehendit, ſed a coſta tertia intropreſſum, & vi ſanguinis protruſum infra, ſupraque eandem. Se-

Secundo, Aneuryſmata inveni bis intus oſſea, non quidem continuitate, ſed veluti per inſulas difformes. Magni *Wepferi* Aorta ſic inventa eſt, ut Tabula vitæ ejus prævixa exhibet. Plurimi alii id ita invenerunt.

Tertio, Aneuryſma loco mutari poteſt, ut diſparuiſſe quis crederet, niſi revera adeſſe ſymptomata demonſtrarent. En notabile Exemplum! Subtiliſſimus Anatomicus, præſtantiſſimus Medicus, candidus Amicus meus, C. H. *Velſe*, egoque, anno 1753. quinquagenariam mulierem ſæpius examinavimus, cui citra manifeſtam cauſam inter 2. & 3. coſtam, ad læva ſterni, Aneuryſma aderat. Id tamen integro ante mortem menſe penitus delituit, ut videretur diſparuiſſe. Symptomata tamen continuabant. In Cadavere Aneuryſma inventum, quod angulum Aortæ dictum occupans, tres forte pugnos mag-

magnitudine æquaret. Tunicas habebat haud craſſas, ſed veluti lamellas albicantes, haud cohærentes inter ſeſe, ſed quaſi alias ad alias adpoſitas, quo magis internas, eo magis fuſcas. Nucleus ſacci, grumoſus ſanguis erat, ita tamen ut nonnihil ſpatii in eo pervium eſſet, quo ſanguis, corde miſſus, per Aortam deſcendentem transflueret.

Quarto, ſunt aliquando Aneuryſmata compoſita, ut haud ita pridem publice demonſtravi. In Noſocomio dicto *Beckenhäuſel*, in viri cadavere invenerat mirum hoc ſpectaculum expertiſſimus ibidem Phyſicus *A. Störck*, vir ad illuſtrandam ſectionibus anatomicis Medicinam natus; dumque rari, utiliſque, quiddam invenerit, quo univerſum ſtudium medicum inde promoveatur, id intactum ad me mittere ſolitus. Porro Aneuryſma iſtud erat in Aorta ab ipſo corde inchoans, & ultra curvaturam pergens, oſſeis inſulis

crassioribus instructum. Ubi nunc Aorta ex curvatura in rectum esset abitura, removebatur sensim a dorso, ita ut demum inde ad duos pollices latos aberraret. In causa erat saccus, ex postica parte ejusdem Aortæ descendentis enatus, orificio pollicis diametrum habente. Porro ex hoc orificio crescens saccus, habebat quatuor pollicum longitudinem, crassitiem vero binorum, explebatque accurate cavum id, quod dorsum inter Aortamque intercesset. Quod vero adhuc mirabilius, inter quartam ac quintam Costas idem ille ingens saccus primo removerat, valido pulsu suo, hasce a se mutuo costas, intercostales musculos deleverat, tumque inter remotas ad sesquipollicem a se mutuo has costas transeuns, mox supra easdem explicaverat se in saccum manui integræ magnitudine parem. Neque vestigia invenire fuit musculorum dorsi secus spinam, & ultra; crassa de-

demum ſubſtantia, eademque fungoſa hunc ſaccum externum demum terminabat. Ipſe vero ſaccus, dudum ante mortem haud pulſans, cruore grumoſo atro, tum intra, tum extra thoracem, totus infractus fuit. Haud multum diſſimilem caſum doctiſſimus *Noordwyk* habet in Præfatione ad *Franciſci Solani Obſ. de Pulſu.*

§. III. Ut Arteriarum, & Cordis Aneuryſmata dari, tum paſſim Scriptores Medici, tum præprimis *Lanciſius*, & denique Ill. noſter Præſes *in Comm. Tom.* 1. ad §. 176. pluribus evicere exemplis. Addam quæ viderim ipſe. Nauta, vir mediæ ætatis, levi ſarcina onuſtus, iter unius horæ per pedes confecerat, indeque perceperat Cordis palpitationes. Venæ ſectio interim, lenia ſolventia, blanda neurotica, effecere, ut conſcendere denuo, ac gubernare Navim poſſet. Ter quater in Anno recruduit quidem Paroxyſmus, ſed ad eadem auxilia iterum conticuit. In-

termedio vero tempore, atque id quidem integri quadriennii ſpatio, ab omni incommodo immunis fuit; leviſſima mali admonitione, ad majores animi corporisque motus, tantummodo percepta. At vero quinto demum anno continuarunt Inſultus. Quum igitur tribus ferme menſibus vix remiſiſſent, Exp. *Velſè* ordinarius ægri medicus, quì ſuis in difficilioribus me, ut ego illum, amice conſulere ſolebat, ad ægrum me adduxit. Horrui ſane hominem videns, lividum, anxium; inæqualem habentem, ac tremulum, pulſum. Et ſi ipſi manus ad Præcordia, ad ſternum, ad 7. & 8. ſiniſtri lateris coſtam præcipue vero earum ad arcus, admovebatur, percipiebamus inæqualem, tremulum, ingratumque penitus motum: exceptis ſex ultimis vitæ diebus, quibus nullus unquam pulſus obſervari potuerat.

Cadaver luſtrantes multam invenimus in cavo pectoris dextro, putremque, aquam,

aquam, ac pulmonem, medio lobo excepto, totum fere purulentum; in sinistro vero cavo pulmonem a Corde maximo ita compressum, ut aëra ægerrime capere potuerit. Cor enim ad minimum triplo majus solito erat, mucrone quam basi latius. Omnium autem maximus sinister Ventriculus, ad mucronem amplissimus, at vero extenuatus adeo, ut levis modo membranula albescens, facile disrumpenda, ibidem supereſſet. Cæterum sanguis concretus, vehementerque tum polyposus, tum Cordis parietibus, columnisque, accretus, cavum hoc explebat. Cordis vero dexter Ventriculus, & binæ auriculæ, sinusque, Arteria pulmonalis, utraque Cava vena, polypos firmos longosque continebant.

§. IV. Sed ne longus sim, sufficiat hæc exempla attulisse, ut vera Aneurysmatum idea habeatur. Collectores casuum quidem, *Borellus*, *Schenckius*, *Paræus*,

Hildanus, *Bonetus*, *Mangetus*, plurima exempla; attulere verum cum ad præcedentia jure referri queant, recensio eorum non usui, sed oneri, foret. Practice modo ex iis agendum est.

Ac primo quidem quæritur, cur multa Aneurysmata tenues tunicas, alia crassiores, alia denique easdem lamellatim dispositas habeant? Polyposus sanguis ejus est naturæ, ut ejusdem adplicatione tunica arteriosa adpareat longe crassior. Deinde ipsæ Arteriarum tunicæ a se mutuo discedere queunt, geruntque nonnunquam inter sese sanguinem in lamellam compactum. Tandem in degeneratione partium, ut alibi, ita & hic, novæ membranæ ex veteribus enascuntur, ejusdem fere cum naturalibus substantiæ, Vesicam fellem inveni in septem loculos membranosos divisam, quorum quisque magnum gereret Lapidem. In antiquis Herniis vidi Operatores sudantes, dum 10.

12.

12. 20. & plures membranas ſolvere deberent, priuſquam verum Peritonei ſaccum attingerent. Ubi vero ſanguis modo in ſacco grumeſcit, vel potius paulo tantum ſpiſſior fit, tunicam mole non auget, ſed extendit duntaxat, idque nonnunquam adeo, ut ruptura ſubſequatur letalis.

Secundo. Cur haud adeo tutum eſt Aneuryſma frequentius tractare manibus, & curatis examinare? Pluribus de cauſis. 1^mo Quia eo modo reprimimus ſanguinem verſus cor, caput, &c. unde haud raro ingentes anxietates, ſuffocationes, vertigines. 2^do Quia filamenta, ac fragmenta polypoſa, preſſione ad arteriæ axin ducta, impetu ſanguinis facile abripiuntur, inque vaſa minora impulſa, circuitum humorum in iisdem intercipiunt. 3^tio Quia ſic tunicæ teneriores ſolvi queunt, letalemque hæmorrhagiam producere.

Tertio. Cur sæpe non pulsat Aneurysma? 1^mo Quia ita ejus tunicæ incrassari possunt, ut impulsi cruoris effectus exterius non percipiatur. 2^do Quia tanta tunc adest in ejus sinu grumosi sanguinis copia, ut pulsus suffocetur. 3^tio Quia sensim impellentis cordis vires minuuntur? unde licet reliquis in arteriis pulsus quisquam percipiatur, vires tamen cordis debiliores sunt, quam ut per incrassatas tunicas, sanguinemve concretum, pulsum exterius percipiendum producerent. Jam simile quid suspicatus *Paræus* erat.

Quarto. Undenam Aneurysma ita mutari possit, ut antiqua in sede ultra non inveniatur? An non ubique Ligamentis enatis ad vicinas se partes annectat? Aneurysma, ita loco mutatum, internum fuit, ut pag. 15. patuit. Hinc magnum illud, ac ponderosum, dum in parte aversa ponderis forsitan augmentum fit, eo versus tota mole propendeat, antiquæ se-

sedis ligamenta elonget, eamque vacuam relinquat, oportet. Casum hunc noviſſe juvat, ne forſan relationem manifesti Aneuryſmatis dubiæ fidei habeamus, illud ultra non invenientes. Quanquam ſymptomatum perſeverantia cum Anamneſi priore conjuncta, Aneuryſmatis præſentiam abunde demonſtret. Mutatione autem loci hoc Aneuryſma fœminæ multo moleſtius fuit, cum moles quondam foras extans, jam vero introverſa, reliqua magis premeret, angeretque vitalia. Qua ipſa de cauſa compreſſio artificioſa mortem acceleravit Canonico, de quo *Lanciſius* part. 1. Lib. 1. cap. 2. prop. 28. Quare cum eodem autore concludimus quascumque externas Aneuryſmatum compreſſiones fatales eſſe, niſi oſſe probe ſuſtineantur : tum quod hinc cavum internum anguſtetur, tum quod Aneuryſma interius nunc minus ſuffultum, facilius findatur.

Quinto. Quæ cauſæ, quod Aneuryſma cordis aliquo tempore Nautam vexaverit? & notabili iterum tempore non vexaverit? Cur iterum elapſo quadriennio continuo ipſi moleſtum fuerit, ac mortem tandem intulerit?

Inchoans cordis debilitas, principium Aneuryſmatis illius ponens, venæ ſectione, diluentibus, paregoricis, & quiete, emendata fuit, ut jam inter vim impulſorum humorum, & contrahentis ſe cordis, æquilibrium reſtitueretur. Plethora poſt aliquot menſes elapſos renata, ſuperabat denuo debilioris cordis vires: hinc renata ſenſim Aneuryſmatis ſymptomata. Cura autem eadem æquilibratam poteſtatem reſtituens, ſymptomata abegit. Ita potuit hac cura palliante homo ille quatuor annos illos ſat commode tranſigere: *palliante*, ajo; cum cor ſemper debilius exiſtens, quam ut aliquam plethoram promoveret, proegumenam cauſam futuri

turi Aneurysmatis perpetuo in se gereret. Demonstrabatque hanc ipsam proegumenam causam, levior ille morbi reditus, ad rarefactos, adeoque spatium sibi amplius poscentes, inanimi ac corporis validiore motu, humores; rarefactione cessante denuo pacatus. Ultimis vero tribus vitæ mensibus debilitas hæc cordis tantopere increvit, ut ultra contrahere se non valuerit, sed amplificari sese, extenuarique, vi, & pondere sanguinis, permiserit; unde vitæ perfecta est orta quies.

Quinto. Undenam tremor explorante digito perceptus, &, si aliquantum continuatur, ingratus, Aneurysmatis, præcipue ejus quod in Brachio est? Isque tamen in uno, quam in alio, major? Difficilis est problematis solutio: sed ad finem, enarratis primo aliquot practicis casibus, facilior forte patebit responsio.

§. V.

§. V. Morbi atrocis nunc proponenda Cura est, eaque sive perfecta, curatoria dicta, sive pallians tantum. Ac primo quidem ea Aneurysmatis interni.

Si undique colligamus observata, & omnia unquam data remedia; si quæcumque dicta specifica; si successus bonos, tam celebratos Antiquis, quam nobis observatos, expendimus; clare comprehendimus cardinem rei versari in eo totam, ut quod solida inter fluidaque desideratur, æquilibrium restituatur. Dum id restituit Medicina, vel *curative* id facit vel *palliative*. Palliative, si, restituto æquilibrio, Cor, Arteriave, debilis esse perseveret, ipsumque æquilibrium restitutum non sit, nisi copia imminuta humorum, ac morbus actutum redeat, dum vel copia, vel rarefactio, molem humorum iterum auget. Cura vero curatoria sive integra fit, si restituto palliative æquilibrio, Ars noverit debilitatis solidis priscum robur restituere,

tuere, amplificatis priſtinam reddere Diametrum. Id & poſſibile eſſe, & nonnunquam præſtari, tum ratio ſuadet, tum experimentum confirmat. Facta enim ejuſmodi evacuatione, quæ æquilibrium ita reddit, ut quod olim ratione ſolidorum deficiebat, nunc potius ratione fluidorum aliquantiſper deſideretur; fieri poſſe id videtur, ut ſolida, contractilitate adhuc ſua donata, in priſcam ſe formam reſtituant: præſertim ſi & copioſe, & aſſiduo, tam alimenta quam medicamenta ingerantur, quæ ſpiſſi tudini polypoſæ, in dilatata parte hoſpitanti, diluendæ, apta nata ſint. Curæ feliciter peractæ jubent hæc aliquando fieri credamus. Cæterum pallians cura, ſatis abunde que fortunatam ſeipſam exiſtimaret, ſi noſſet humores & paucitate, & tranquillitate perpetuo ineptos reddere, ad tollendum æquilibrium. At vero, quandoquidem ita cum Mortalibus eſt comparatum, ut ſex rerum

non

non naturalium usus nequeat semper æque moderatus manere; hinc cum redintegrantibus paroxysmis toties hi ægri luctantur, donec demum suffocati, satis cedant.

Sed in ipsa cura magna differentia. In Nosocomio habemus, qui in antiquiore morbo, insigni levamine gaudeant; habemus, qui in recenti vix gaudeant ullo. Ratio videtur suadere hos longe citius ad immedicabilem conditionem adolevisse. Dantur enim, quibus malum incredibile quantillo creverit spatio! Ipse *Lancisius*, cum examinaret cadaver Vestiarii quem Aneurysma, a sterni contusione oriundum, intra anni spatium e vivis eripuerat detexit Anguli Aortæ Aneurysma, Punicum malum magnitudine æquans, quod os sterni elevaverat, & carie penitus excavaverat.

Cæterum si utcumque medicabile malum est, Humorum repetitæ evacuationes, Sapones acidi, ut Tamarindus, vario-

rum fructuum acido Saponaceorum Rob dicta, Nitrum copiosum, Cremor tartari; & quia id hominum genus spasmis admodum torqueri solet, Gummi ferulacea, & Opium; Diæta cæterum blanda ex jure carnium tenuiore, carnibus teneriori-bus, fructibus horæis, oleribus soponaceis; tum deinque magna animi corporisque quies, calamitosum hunc morbum ad tempus notabile, sæpe etiam per annos, tolerabilem reddunt.

§. VI. Sed est alia adhuc ratio, hic necessario memoranda, cur in suscipienda horum ægrorum cura minus desperare debeamus. Quippe plures morbi hunc ipsum ita simulant, ut sæpe protopathicus esse credatur, quem vel ipsa curatio, vel cadaverum ad alias morborum causas rimandas examen, deuteropathicum duntaxat vel sympathicum esse demonstrent. Adeo quippe facile hic morbus ludit medentes. En quæ ipse expertus!

Æta-

Ætatis Centurio florentis, temperiei bilioſæ, illibatæ quondam ſanitatis, ſed a triennio ad Melancholiam ex animi ægritudine diſpoſitus, cœpit demum, anno 1757. ineunte, cordis palpitationibus vexari: quas eo tempore tamen Venæ ſectio, ac Purgans, brevi, & integre, ſedabat. Æſtate idem malum paſſus, eodem ſanatus auxilio fuit: labente demum anno repetens illud nulli auxilio ceſſit. Operam navantes peritiſſimi Medici inanem, jure ſuſpicantur vel Aneuryſma cordis, Arteriarumve majorum, vel Polypos iisdem innatos, vel & geminum hoc malum, adeoque difficulter ſanabile, hic adeſſe.

16. Jan. 1758. in conſilium vocor; quo die perbelle ſe habebat, ſed animo corporeque adeo mobilis, ut a meo quem anhelus expectabat, introitu, & adſpectu, graviſſimum mox paroxymum pateretur. Cor percipiebamus horrende palpitans, Pulſum parvum, & admodum inæqualem, tuſ-

tussim cum sputo mucoso, lotium lateritio cum sedimine. Profecto teterrimi mali jam annosa diuturnitas, sedamen intermedium olim quidem habens, jam vero perennis, pessimisque stipata symptomatibus, ideam, quam præstantissimi viri de eo formaverant, omni ex parte confirmare videbatur.

Nihil enim mutare hanc ideam poterat immunitas aliquoties observata morbi, cujus causa crederetur perpetuo adesse. In Lienis, Hepatis, Ventriculi, Cerebri, morbis, intervalla optima observamus, dum interim in cadaveribus causam mali perpetui magnam, sufficientem, eamque diuturnam detegimus. Imo in Nauta de quo antea actum, pag. 18. præsentem perpetui mali causam a morte deteximus, cum tamen causa hæc toties in vita effectibus caruisset. Nec tussis, Pulmonis affecti symptoma, huic ideæ contraria

fuit, imo potius confirmabat eandem; 1^mo quia in Aneurysmate circa Vitalia tussis ejusmodi frequens nobis observatur. 2^do Quia ejusdem dudum meminerat in hoc morbo *Lancisius*; eamque validæ Pulmonum compressioni, & irritationi, tumentibus Vitalibus oriundæ, adscripserat.

At vero cum in his decipi facile, praxisque nos doceat, Vitalia nonnunquam tam valide secundario affici, quam si primario afficerentur; cum præterea *Boerhaave* §. 826. & seqq. Inst. Med. notasset Palpitationes cordis violentas originem spasmis aliquando debere, vel etiam „ irritationi fibrarum cordis, ab „ acri quodam stimulo factæ, ut in caco„ chymica materie mota „ sententiam aliquo modo lenivimus, dubiam protulimus, abjectumque ægri animum aliquantula spe ereximus.

In-

Impugnare igitur malum iis intendimus, quæ cuicumque proforent cauſæ; ſaponibus acidis, nitro, neuroticis, opio. Quibus equidem proderamus utcumque, lucida tamen intervalla diris exacerbationis turbari sæpe dolebamus. Quin imo ruit in pejus malum. Pulſabant haud Vitalia modo, ſed & Abdominis viſcera. Interim miramur inſolitum phænomenon. Vomitus enim violentus, qui ex natura ſua hic letaliſſimus videri debuiſſet, palpitationem ſedavit, pulſum æqualem reddidit, & tranſpirationem dudum abſentem reſtituit; non ea die duntaxat, ſed ſex integris poſtmodum ſeptimanis. Interea tamen male ipſi fuit a tuſſi violenta, ſicca, rebelli, a reſpiratione laborioſa; a pulſu, citra palpitationem, inæquali, & nonnunquam, rarius licet, intermittente. Sputa tandem craſſa, flavo-viridia prodiere; a quibus tuſſis quidem mitior, ſed

notabilior languor, horror, frigus extremorum, & calores nocturni, anxietatesque enormes. Tussi demum cessante mobilis materiæ strepitus in pulmone exaudiebatur, perseverabat anxietas. Kermes minerale, & quotidianum clysma, hic proderant.

Martii 10. expectoratione sponte cessante, dirus rediit, qui a 24. Januarii siluerat, Palpitationis paroxysmus; quem denuo vomitus, ut olim, sed non tam integre, solvit. Vehementissimus autem Paroxysmus decimo ex illinc die recruduit. Epigastrium quoque ab aliquot retro septimanis intumuerat, jam vero totus venter tumidus, tensusque, deprehenditur. Cataplasma emolliens 3. Aprilis impositum profuit, successitque alvus flava quidem, sed multo glutine, multisque duris, & ex flavo viridibus, fæcibus referta. Idem & 4. Aprilis contigit; sed eo cum eventu, ut vera jam

acce-

accederet mortis imago : cordis pulsatio, virium collapsus, pulsus debilis, intermittens, atque omni modo inæqualis, frigus extremorum. 5. Aprilis Respiratio parva, inæqualis; pulsus exilis, intermittens, tremulus, facies vere Hippocratica. Dumque jam mors adstare præ foribus videbatur, alvus prodiit libera, fœtidissima, nunc nigra, nunc virideſcens; idque ea nocte octies. En vero ejus stupendos effectus! Mox cessarunt quævis symptomata, vires ad horam crevere, & sanitas tam cito rediit, ut 4^to Majo gratias DEO acturus, Templum adiverit, meque postera die cum suo ordinario Medico *Störck* inviserit, perfectam suam valetudinem testatus, nec a conscensu 46. graduum, quibus ad me conscenditur, vel quidquam defatigatus, aut anhelus. Mansit ipsi integra sanitas, donec hyemali tempore, Milite ad bellica exercitia coaptando,

in Hungaria ſeſe defatigans, ægrotaverit, perierit.

Luculentiusne exemplum haberi poteſt deuteropathici morbi, tam perfecte protopathicum æmulans? Atra bilis per vices mota varios hos paroxyſmos excitaverat. Atra bilis tota in motum ducta, mortis ad limina hominem duxit; integre tamen expulſa, corpus reliquit ſanum. Partitim mota, vomitu expulſa eſt; mota integre, alvo.

Eſt igitur exemplum ejus, quod laudato mox loco optimus *Boerhaave* de cacochymica materia mota dixerat: ſed cum deuteropathicum, vel etiam ſympathicum morbum hunc, protopathici adeo æmulum, a miris nervorum affectibus deducit, en ejus quoque manifeſtum exemplum!

Juvencula fœmina ad Noſocomium noſtrum acceſſit, multis ab annis vehementi cordis palpitatione, anhelitu, anxie-

anxietate præcordiorum, tuſſique vexata frequenti; artis interea opem fruſtra eo uſque experta. Cum alvo ab octiduo careret, enema immitti jubeo, alia interim paraturus. Sed interim moritur. In cadavere publice examinato vitales partes ſanitatem illibatam adeo referebant, ut nihil illibatius. Neque quod toto corpore tam in ſolidis, quam in fluidis accuſaretis, quidquam erat; præter geminam, ſed leviuſculum, Pulmonis ad Pleuram adhæſionem, & tres lumbricos teretes in Ileo inteſtino. Porro & cum his lumbricis, & cum longe latioribus Pulmonum adhæſionibus millenos homines ſaniſſime vivere, Anatomicis compertum eſt. Ut proinde cum *Boerhaavio* §. 826. concludamus: „ Cauſa ejus plerumque eſt, inordinatus, „ & violentus ſpirituum vitalium in „ cordis villos impetus, &c.

§. VII. Porro morbi hi aneurysmatici, eorumve simillimi, hic loci frequentissimi sunt, multamque horum varietatem exhibent. Sunt duo in Nosocomio homines qui, omnibus rite perpensis, protopathica vitalium affectione laborare videntur, quibus tamen a validiore motu nec intermittat, nec remittat, nec inæqualis sit pulsus. Alterique horum, qui 17. annos natus, ex Hortorum forte cultura hunc morbum contraxit, jamque triennem habet, vehementissima cordis adest pulsatio, ut visu, audituque, percipiatur; Præcordiorum præterea, & ad arcus potissimum 3. & 4. costæ, ardor continuus; carotidum ambarum totum collum concutiens, pulsus; tumor colli ingens, pulsansque; pulsatio ad ambas inguinales tanta, ut tangentium digiti vi repellantur; pulsus ad malleolos tantus, ut dormientem continuo excitet, somnum-

ve

ve præprimis impediat ; idemque ad temporales arterias obſervatur. Eſt igitur univerſalis fere Aneuryſmatica Diatheſis. Egregii *Lanciſii*, aliorumque Obſervatio, ponens, quo diuturniora validioraque Aneuryſmata ſint, eo locorum remotiorum arterias debiliores & exiliores eſſe, in hoc juvene proinde locum non habet.

§. VIII. Atque hæc ſufficiant, ut quæ circa Aneuryſmata interna nos noſtra obſervata docuiſſent, communicaremus. Supereſt modo Obſervationes itidem noſtras circa Externa patefacere.

Notabilia exempla horum duo in Noſocomio proſtabant hoc anno, ex imprudenti Venæ ſectione, reſiliente inſtrumento peracta, nata. Fœminæ ambæ erant, juvencula, & Vetula. Vocabo utrumque Aneuryſma ſpurium. Præmonitos enim Lectores velim, me hic loci haud immorari iis, quæ Viri

egregii *Freind*, *Monroo*, *Foubert*, aliique, contra communem Aneuryſmatum in Spuria, ac Vera, diviſionem, haud abſque aliquo Rationum pondere, ſcripſerint: ſequar modo eam utriusque definitionem, quam, poſt *Sennertum*, *Boerhaave*, Illuſtr. *Præſes*, & *Heyſterus*, adoptarint.

Aneuryſma hoc ſenſu ſpurium, homo, minime Chirurgus, fœminæ juvenculæ conciliaverat in dextri brachii arteria humeraria, mox ante ejus in Radiæam, & Cubitæam, diviſionem; quemadmodum in operatione patebat. Tremor modicus tangendo percipiebatur, & tumor ſenſim increſcebat. Pulſus in carpo debilis: idque ut poſtea patuit, naturaliter. Cum tumor augeſceret, operatio concludebatur; variarumque Methodorum tum præſtantia, tum periculo, rite penſitatis, Compreſſio debita cæteris prælata eſt. Arridebat equidem inter-

terceptio, quod & felix sæpe, & Optimorum in arte gauderet suffragio; verum cum nonnunquam id periculi involveret, ut circulatio sanguinis subjecta in parte aut multum læderetur, aut penitus deleretur; cumque e contrario artificiosa compressio quoad curam æque secura esset, nec hisce tamen sociata periculis, hanc ipsi prætulimus. Est porro paucis super illa differendum.

§. IX. Compressio Aneurysmatum quæ ossa sibi subjecta habebant, stipticorum suffulta anxilio, multo Priscis in usu, eviluerat; quod inanis, quod usu cassa, quod etiam aliquoties damnosa esset inventa. Industria vero humana, tandem periculis edocta, & infortuniis monita, didicit hanc ipsa interceptione præstantiorem reddere.

In commercio Literario *Norimbergensi* anni 1732. pag. 107. & seqq. opti-

optimus *Hamberger*, in inclyta Academia *Jenensi* celeberrimus, ac vere doctissimus Medicinæ Professor, curationem Aneurysmatis spurii felicissimam cum publico communicavit. Aneurysma hoc ignarus omnino Chirurgus, Venam Basilicam tundens, produxerat; pertusæ arteriæ manifestissima cæteroqui signa ne advertens quidem. Curatio hæc peracta est primo adpositione comprimentis arteriam humerariam funiculi, dein sufficiente dilatatione loci affecti, & denique adplicatione chartæ masticatæ, liquore stiptico Deppelii madefactæ, ad ipsum Arteriæ vulnus: ita quidem, ut chartæ masticatæ lamina prima minima esset, altera paulo major tertio major priore, & sic porro; donec sufficiens laminarum altitudo haberetur, quæ circumductis fasciis apte ad vulnus appressa maneret: adstringente interim pulvere totum explente vulneris cavum.

Pu-

Publica disputatione Doct. *Emrich Jenæ* 1734. hanc curam propugnavit.

Vir eruditis omnibus carus C. S. *Trew*, S. C. Maj. ut & S. March. Onoldino-Brandenb. Consiliarius, & Archiater, Reip. Norimb. Phys. ordinarius, senior, Comes Palat. cæsareus, S. R. I. Nobilis, Acad. Cæsar. N. C. Director, Reg. Soc. Lond. & Berol. Scient. Socius, in Eph. N. C. vol. 8. Obs. 126. similem Hambergerianæ curam *Norimbergæ* anno 1747. exoptatissimo cum successu intra mensis spatium perfecit. Anno 1748. eadem cum felicitate curam hanc repetivit, & *Eph.* N. C. vol. 10. descripsit. Ad aneurysmatum vero imprudenti venæ sectione oriundorum intellectum, & curam, egregias, atque ad ipsam Naturam expressas, Tabulas tres addidit, una cum nitidissima earum expositione.

Exp. Chirurgus *Foubert* Acad. Reg. Chir.

Chir. Socius, dedit de Aneurysmate Dissertationem in Tom. II. *Actorum* ejusdem Academiæ, in eaque laudavit compressionem externam in recenti, parvoque Aneurysmate: in majore autem & utcumque vetustiore suadet, suoque exemplo comprobat, operationem. Operationem autem hanc, si est Arteriæ truncus, mera compressione perficit, ut ita evitentur infortunia, quæ Ars aliquando post interceptionem luget; sin autem vulnus in Ramo est, intercipit illum, ligatque. Haud bene capio, cur Ramum etiam compressione curandum non suscipiat, si Truncum tuto noverit compressione curare; sed hæc non sunt hujus loci. Illud autem ex hac dissertatione patet, quod Autor suam operationem primo Charta masticata peractam describat anno 1732. non adjungens quo præcise anni tempore. Porro eodem anno publicæ lucis curationem suam fecit Cl.

quam

Hambergerus, quam exeunte anno 1731. perfecerat. *Foubertus* vero sua non edidit nisi anno 1753.

Igitur compressio Arteriæ pertusæ, celebrata Veteribus, feliciter peracta a *Sculteto* anno 1631. primo compressione trunci, tum spongia usta, adstringentissimo pulvere consperſa, ad vulnus Arteriæ admota, dein conveniente ligatura firmata, & denique artificiose excogitato instrumento, quod ipsum D. *Morand.* Tom. 2. *Act. Acad. Chir.* impense laudat, adpressa; Hæc, inquam, compressio, a *Dionysio*, ab *Heysterο*, aliisque, commendata, deinde a Cl. *Hambergero* anno 1731. facta, & 1732. promulgata; anno 1732. a *Fouberto* primum *Parisiis* instituta quidem, at vero non nisi 21. postmodum annis cum publico communicata est. Interea temporis *Cl. Trew* bis hanc curam perfecit, longe antequam ille Acad. Paris. Tomus secundus in lucem prodiit. In

In hoc porro tomo duæ eruditæ Dissertationes de Aneurysmatis curatione habentur ; quarum altera laudata jam sæpius illa *Fouberti* est, altera celeberrimi in arte *Morandi*: Morandiana hæc præter alia id novum habet, quod ad *Agaricum* pertinet. Nempe postquam Chirurgus *Brossard* arcano se pollere, indicasset, quo Arteriarum hæmorrhagiam quamcumque tuto sisteret, tentamen ejus & adplicatio facta est finiente anno 1750. idque in arteria brachiali gladio pertusa. Arcanum suum Chirurgus adplicuit vulneri : quo facto, simplici ligatura curabatur spatio mensis id Aneurysma. Erat autem arcanum hoc remedium *Fungus Agaricus pedis equini facie*. Ter jam sibi experimentum successisse, aliisque præterea Chirurgis, *Morandus* asserit : equidem & citra Agaricum bis sese, aliumque haud ita pridem Chirurgum, sola compressione arte-

arterioſi ſanguinis impetum repreſſiſſe; Agarici tamen vires vel ideo præſtantiores eſſe, quod compreſſione utcumque laxiora, Gangrænæ propterea metum nunquam faciente, curam ſuam perficiat.

§. X. Plures ergo claros in arte Viros imitati, curam ſpurii noſtri Aneuryſmatis Agarici applicatione, & compreſſione, tentavimus. Egregius chirurgiæ Doctor, curiſque tum graviſſimis, tum feliciſſimis in Auſtria nobilis, Dominus *Ritter*, cum aliis claris urbis chirurgis, ſua præſentia, conſilioque, aſſiſtebat Noſocomii Chirurgo *Leber*, qui operationem in ſe ſuſceperat. Inciſo cum Integumentis tumore, extravaſatus humor fere omnis ſponte excidit. Arteriæ vulnus, laxato inſtrumento tornatili, apparuit in eadem ante ejusdem diviſionem, obtinere: ut profecto hic caſus ille haberi triſtiſſimus

potuisset, in quo, post consuetam intercipiendi methodum, gangræna subsequeretur. Porro fuit & Arteriæ, & Aponeuroseos musculi bicipitis brachii, tanta cohæsio, atque coalitus, ut corpus fere unicum esset; sola capsula, vasa hic involvente, intermedia; at complanata eadem, & cum subjecto vase, impositaque Aponeurosi, unita: ita quidem, ut nullo intermedio cruore, vulnus unum idemque videretur esse, quod penetraret utrumque; utque laxata tornatili machina, per unicum duntaxat foramen sanguis videretur scaturire. Hinc, cum Aponeuroseos perscissio dolorem creet, & suppuratione nimia destrui possit; cumque ii, quibus sola compressione externa Aneurysma curatur, cum mutua vasis, aponeuroseosque, concretione, brachii motum expedite absolvant? Aponeurosin conservavimus, & communi vulneri pul-

pulverem Agarici inſperſimus, Fungi ejusdem lamellas, contuſione valida complanatas, deſuper poſuimus; eo quidem ordine, ut prima minor, altera major, tertia iterum hac major eſſet, ſicque ad talem altitudinem ultima lamina emineret, ut idonea ligatura brachio circumducta, totus firmaretur adparatus. Ipſum vero brahium univerſum, ut tunc, ita toto curæ tempore, vino aqua miſto fovebatur. Machina tornatilis poſt operationem relaxata, curam egregiam eſſe monſtravit. Emulſio paregorica pluribus deinceps diebus data, & jus carnis dilutum cum pane, unicum medicamentum, & nutrimentum fuit.

Tribus elapſis ab operatione diebus, incipiens vulneris ob junios calores fœtor deligationem ſuaſit. Apparatu quamvis prudenter ablato, cecidere nihilominus omnes Agarici lamellæ, ut nu-

dus vulneris fundus conſpiceretur. Sanguinis porro nil prodiit. Ergo inſtrumentum tornatile ſuſpenſa manu laxantes, dein plus, tandem integre, ne guttam quidem unicam transſudantem deprehendere potuimus. Gaudebamus ſane; cum eo aliqui animo eſſemus, ut, operatione irrita viſa, Aponeuroſin ab Arteria ſolveremus, fungumque, ac totum adparatum, nudæ adponeremus arteriæ. Quia vero res pro votis ſucceſſerat, aponeuroſin integram reliquimus. Cur ſub ipſa prima operatione eam non læferamus, rationem ante dedimus. Confirmabatur ea noſtra intentio obſervatione *Fouberti*, qui eorum in cadaveribus, quorum aneuryſma brachii ſola externa compreſſio quondam curaverat, quoſque alii jam morbi ſuſtulerant, Aponeuroſin cum arteria coalitam invenerat. Igitur pulverem Fungi de integro inſperſimus, novas la-

lamellas impoſuimus, & deligationem, ut antea, perfecimus. Spatio 14. dierum tota peracta cura fuit, ut modo deeſſet Epidermis, quæ quoque intra octiduum integra comparuit. Sæpius hanc fœminam poſtea vidimus, eamque nullum in movendo brachio incommodum ab adhæſione Aponeuroſeos pati deprehendimus.

§. XI. Altera, de qua dixeram, mulier vetula, ſpurium habuit, licet verum referre videretur, aneuryſma; rationem mox exponam. Huic tumor longe minor, ſed tremulus motus longe major, eique, qui locum diutius digito explorabat, perquam ingratus. Non video qui in externis Aneuryſmatibus hujus tremoris meminerint Autores. *Paræus* ſuſurrum, ſonitumve, non tremorem, obſervavit. Tremor tamen iſte, quo blandiore digito tangebatur, eo diſtinctior; quo duriore, eo

confusior; si fortissime, nullus adparerebat. Cum igitur intra 14. dies tumor vix augeretur, simplici tantum externa ligatura hoc Aneurysma curare annisi sumus, subere oblongo, eoque fornicato, ad tumentem arteriam adplicito, ac proba firmato ligatura. Quod ubi cum tantillo tumoris decremento spatio binorum mensium prosequeremur, tremor sensim cessavit, & corpus durum, fere rotundum, extrorsum convexum, immobile, tegere videbatur arteriam in loco vulneris: unde nullam habens molestiam fœmina, motu debito brachium exercebat.

§. XII. Cur vero spurium hoc Aneurysma vocem? Quæ origo rotundi hujus, atque immobilis, supra vulnus, corporis? Undenam tremulus ille motus?

Ad primum responsio facilis; ad alterum & tertium vix certi quidquam habeo:

beo: ut tamen verosimile quid proferam, licebit prius ex laudata *Fouberti* Dissertatione nonnulla proferre.

Dividit vir expertus spurium Aneurysma in *primitivum*, & *consecutivum*. Primitivum vocat id, in quo actutum ad pertusam arteriam tumor comparet, totum ferme brachium brevi occupans, citumque propterea, ne Gangræna & mors accedant, auxilium poscens. Consecutivum autem illud, in quo quidem nullus a principio tumor, præ valida compressione, qua Chirurgus, mox ab infortunata sanguinis missione, locum firmaverit; deinde vero tumor pedetentim observatur, dum ægro, Chirurgoque, maturius ovantibus, compressio solvitur, abjiciturque, ac consueti motus brachio exercentur. Quo demum fit ut Aneurysma hoc spurium referat verum. Quo autem modo id fiat, en qui explicet.

Prima compreſſione, ut dictum, facta, jam & cutis, & adeps, & aponeuroſis, & capſula vaſa includens nervoſque, & arteria ipſa, Cicatricem communem formant; arteriæ tamen vulnus, cæteris tardius coaleſcens, rotundam aperturam ſervat, in qua hæret trumbus ſanguinis. Trumbus ille perfecte coaleſcit in unum cum arteria ſolidum, ſi adparatus ſufficiente temporis ſpatio adplicatus ſervetur; ſin minus, trumbus expellitur, ſequitur tunc ſanguis ſenſim tumefaciens accretas ſuperpoſitaſque partes. Sanguis porro ille partes haſce elevans, & in determinato quodam ambitu ſolvens, parvum ac circumſcriptum refert tumorem. Eo rerum ſtatu tum pulſus, tum reprimendus digito tumor, verum Aneuryſma, ſive Arteriam minime perforatam, mentiuntur. Pulſus porro ille manifeſtus hic percipitur, quia ſanguis ex arteria per

hoc

hoc foramen in formatum hoc cavum impellitur; tumorem autem digitus reprimit, quod fluidus medio in tumore cruor per arteriæ foramen repellatur. Censet autem autor hanc suam Theoriam anatome confirmari. Nactus enim occasiones aptas, invenit in illis quidem, qui sine persectione integumentorum mera ambiente compressione, aneurysmate ejusmodi curati fuissent, dum aliis postmodum morbis periissent, arteriam, capsulam, & aponeurosin, una eademque cicatrice coaluisse: in Operationibus vero suis, quas sæpius compressione externa haud sufficiente instituere debuerat, Sacculum detexisse se ait, pro diuturnitate mali nunc majorem, nunc minorem; qui exterius formabatur inferiore aponeurosos facie, intus vero variis compacti sanguinis lamellis, eo compactioribus, quo exte-

rioribus, quique demum fluidum gerebat in medio sanguinem.

§. XIII. His ex *Fouberto* præmissis ad tria data Problemata me converto. Ad I. dico, quandoquidem ex relatis tum nostræ mulieris, tum ex pluribus apud hunc autorem historiis, arteriam totam pertusam fuisse constet; & definitio spurii aneurysmatis id supponat; videor merito id nostrum spurium vocasse, quantumvis veri naturam æmularetur. Confirmant id etiam alia *Fouberti* observata, quæ in eorum cadaveribus, qui olim ab aneurysmate perperam vero dicto curati, aliis deinde morbis occubuerant, demonstrarunt stigma, sive cicatricem in Arteriæ pariete interno.

II^da. Quæstio erat, quænam rotundi, atque immobilis, nostra in fœmina tumoris origo fuerit? Videtur *Foubertus* jam explicasse, ut responsum hic repe-

repetere sit supervacaneum. An vero ex hujus autoris theoria, anatome confirmata, responsio quoque haberetur, ad singulare illud phænomenon, quod clarissimi viri, *Hamberger*, & *Trew*, suis in casibus observatum notarunt, descripserunt, sed non explicuerunt? Prior in *Comm. Litt.* ann. 1732. sic scribit: „ Apparuit (in operatione) „ tunc globus ex carne membranosus, „ superficiei inæqualis, arteriæ adhæ„ rens, diametri duorum digitorum. „ Hunc exploraturus, digitis parum „ compressi, ex ægroto quærens num „ dolorem perciperet? Quod cum ne„ garet, fortius pressi, & sic non so„ lum ab arteria successive recessit, „ sed & in tribus locis ruptus, san„ guinem coagulatum dimisit. „ Poste„ rior vero sic: Post hæc, inquit, magis „ magisque totam cavitatem a grumis, „ digitorum ope, purgabat operator,

ac

„ ac denique quendam (tumorem) pau-
„ lo firmius ad locum arteriæ adhæren-
„ tem, & aliter conformatum, protra-
„ hebat, illi, quem Domini *Jenenſes*
„ in caſu ſuperius expoſito offenderunt,
„ valde ſimilem, articulum digiti ma-
„ gnitudine æquantem, ſanguine con-
„ grumato pallidiorem, & quaſi mem-
„ branoſum, inferius præterea ſulco,
„ arteriæ trunco procul dubio reſpon-
„ dente manifeſte excavatum.

Igiturne in noſtra fœmina, & in *Fouberti* ægris, & in caſibus clariſſimorum *Hambergeri* & *Trew*, hoc modo quo dixi, natum id corpuſculum? An, quod cum eodem nato nonnulli penitus curentur, alii curati ad tempus habiti, tamen poſthac, tumente brachio, inciſione indigeant; an, inquam, id ideo fiat, quod in illis ita corpus hoc cum Arteria coagmentatum eſt, ut vis pellentis per foramen Arteriæ ſanguinis nequeat

queat illud ullibi, toto in ambitu ſolvere; in his vero illud alicubi ſolvit, ita ut per rimas has toto brachio longe lateque diffundatur? Videretur certe ex omnibus his obſervatis quid ſimile concludi oportere.

Ad III. problema, quod tremoris rationem poſcebat, reſponſio difficilis mihi videtur. Expoſitum mox corpus, immediate, firmiſſime, & calli veluti ope cum arteriæ corpore coadunatum, utique motu arteriæ in Diaſtole ac Syſtole afficitur, ſed cum obſequioſum præ duritie non ſit, fortaſſis ideo tantummodo tremit, non autem manifeſte expanditur contrahiturque: Jamque novus ſanguis aſſiduo ex arteria in hoc operculo repulſus, videtur quoque hinc tremorem augere. Binæ enim cauſæ continuo agitant hoc corpus ſuperpoſitum, quod ſua duritie non niſi leviſſime reagere, agique, poſſit.

CA-

CAPUT III.

DE TYMPANITIDE ET HYDROPE CYSTICO VARIA.

§. I. *Examen Tympanitidis.* §. II. *Historia Hydropis Cystici, sive saccati, numerosis cadaverum sectionibus suffulta, cum explicatione τῶν Ἐμροτῶν* Hippocratis. §. III. *Examen Doctrinæ* secundi Tomi Acad. Chir. Paris. *circa amplam ventris dilatationem, saccique, in hac specie Hydropis: eaque occasione cunctis emolumentis & nocumentis hinc Methodi a Parisiensibus propositæ, illinc Paracenteseos, discussis; HAEC demum ILLI, quibusdam exceptis casibus, præferenda forte videtur. Simul eorum sententa de extirpando Ovario examinatur.* §. IV. *Quæstiones Pathologicæ circa Hydropis originem & naturam.*

§. I. Peculiari capite de *Tympanitide* egi Tom. II. Rat. Med. In præsentiarum nonnulla addere juvat, quæ ibidem dicta confirmet; huncque morbum, qui debitæ cognitionis defectu fre-

frequenter adesse dicitur, dum minime adest, ab omnibus aliis rite distinguant.

Puer necdum sextum ætatis annum integre explens, debilis, incedere necdum valens, a matre mihi fistitur. Narrat illa quo momento quondam huic suo infanti mammam præberet, se ex nuncio improviso nec opinatæ Mariti mortis vehementer fuisse perterritam; observasseque paulo post flavescentem infantem, ac postliminio indies macriorem reddi: ventrem ipsi quoque intumuisse, idque ea lege, ut nunc plus, nunc minus tumeret, nunquam vero integre detumescceret; jam vero a 30. diebus immanem excrevisse in molem, cum rara, duraque alvo; ita ut quintus denuo dies, ex quo eam non exonerasset, laberetur. Examinavimus tunc puerum. Facie excepta macerrimus, ventrem adeo tumentem gerebat, ut superius vix spatium pro Thorace relinqueret, inferius

rius vero ſuper femora propenderet. Haud æquabiliter tamen extendebatur, utpote eminentiis pluribus, iisdemque globoſis & oblongis, inæqualis: parte nimirum dextra, eaque ſuperiore, eminentior, inde depreſſior, in medio denuo elatus; mox inde iterum planior, in ſiniſtra vero regione tum media, tum infirma, vehementer extuberans. Percuſſus nihil undulationis, ſed obſcurum tympani ſonum, unde totus morbus nomen habet, referebat.

Quam veriſſime igitur *Boerhaave* poſt veteres docuerat Inſt. Med. §. 817. ex Ictero Tympanitidem facile naſci! Bile intra ſanguinem refuſa, Inteſtinis deeſt neceſſarius, quo & agant & exonerent ſe, ſtimulus. Ergo expanduntur; & perſeverante, aut continuo repetente, eadem expanſione, fibræ eorum demum fere paralyticæ fiunt, nec niſi duplicata vi reſpirationis, aut validiorum pur-

gan-

gantium ſtimulo, commoventur ad evacuationem. Evacuata autem hæc Inteſtina vix concidunt, quum vi contractili amiſſa, mox aëre extendantur, fæcibus dein tempore accumulatis, immanius turgeant, atque ita, ad exonerandum ſeſe, vi indigeant validiore quam antea. Cum paralyſeos hujus origo annoſior eſſet, triſtem prognoſin dabat morbus. Cura tamen tentanda erat, eaque primum evacuando pallians, deinde roborando curans. Sed ſero venimus. Eodem die ſatis ceſſit.

Inciſo abdomine, tumoris cauſam videbamus nec aëri deberi, nec aquæ, verum unice expanſis Inteſtinis craſſis, & quemadmodum figura externa deſignaverat, hinc plus, illinc minus, dilatatis & impletis. Aëris porro immenſa copia, multumque duarum fæcum, eadem explebant. Hocque jam tempore & multa, & profunde tincta,

Bilis in veſicula fellea aderat, ut ſtimulare inteſtina potuiſſet; ſed dudum nata, & inveterata paralyſis, ſuborto atque agente poſthac ſtimulo, emendari nequivit.

Externa igitur, inæqualis ea, & tortuoſa ventris facies, ſedem Tympanias oſtenderat in Inteſtinis eſſe; ſed non in quibusnam proprie eſſet? Hic Anatome craſſa Inteſtina, aliis in cadaveribus cum craſſis & tenuia oſtendit nobis inflata. Quin & præternaturalis craſſorum decurſus, & flexura, omnem genuinæ Morbi ſedis determinationem a priore, ut ajunt, negabat. Quippe in cadavere vidimus ſaccum cæci vix pollices duos capientem, ſuo cum appendiculo, non ſede conſueta, ſed aliena, verſus medium abdomen, locari. Colon inde aſſurgens, mox ampliſſimum, ad Lienem vergebat, indeque retro, verſus umbilicum reflexum, & hinc

iterum

iterum viam ad finiſtrum Ileum petens, denuo oblique dextrorſum amplitudine ſtupenda aſſurgens, tandem ſacci ingentis, potius quam inteſtini forma, ad anum deſcendebat.

Si jam vetabamur ab externa ventris forma locum proprie affectum, vivente ægro, determinare; nonne eandem ob cauſam idem in aliis abdominis morbis, ut puta in colica dicta, vetamur? Etenim pluribus in cadaveribus coli figuram minime naturalem deteximus: ita quidem ut in nonnullis ad Hepar affixum, mox vel ad umbilicum, vel ad imam pelvim deſcendat, indeque aſſurgens Lienem petat, poſtea autem curſum conſuetum abſolvat. In aliis iterum alio atque alio invenitur hæc forma tortuoſa modo. Ita ut dolor verſus umbilicum tenuibus ineſſe creditus, haud raro ipſum colon occupet. Et Experimentum capientes, inflando fortiter in-

testinum animalis, evidenter cernebamus illud & amplitudine & longitudine augeri, si determinato in spatio coarctabatur; nova in omnem modum, omnem in formam, volumina tunc producens. Qua etiam de causa toties in iis, qui calculo vesicæ perierant, & longissimos, & amplissimos, & maxime tortuosos, ureteres invenimus, & jam in prioribus descripsimus; eo quod urina, secreta renibus, intrare vesicam prohibeatur. Elongat quippe illa, ampliatque ureteres; & cum hi elongati nequeant amplius in longitudinem porrigi, coguntur hinc inde in latus secedere, formare volvulos, elongantes, vel lacerantes, quæ ipsos involverat, cellulositatem. Itaque protruso cum Peritonæo deinceps, in remotiore longe plaga, nova productione cellulosa vicinis affigunt se, ac si perpetuo ibidem hæsissent: quemadmodum plura nobis exhibuere cadavera.

Sed

Sed ut ad rem; Prospectus anatomicus hujus tympanitici confirmat eam, quam Tom. 2. cap. 5. ideam ejus dedi. Sedes mali est in ipso intestinorum cavo; materies, cum copiosis excrementis, Aër est. Si in cavo abdomine aqua inest, ea a cacochymia corporis universa producitur; si aër, ab eroso intestino. Causam remotam in hoc ægro, Bilis defectumcum *Boerhaavio* agnovimus, in aliis, iteratas Colicas, Ileumque, deteximus. Quippe in Colica clausa dicta, & Ileo, intestina materie chylosa, ac stercorea, tum & aëre copioso, amplificantur, & elongantur, ita ut figura, decursuque, mutentur. Repetitis his morbis tandem fit, ut licet homines posthac ab iisdem curentur, intestina tamen pristinam figuram nondum recuperent, atque ita causa prædisponens ad Tympaniam maneat. Si Intestinorum Nervis supersit nonnulla adhuc

contractilitas; si etiam diæta talis sit, ut non ingerantur alimenta, quæ multum aëris factitii, aut *Gas Helmontii*, in ventre generent; si nec duri cibi assumantur, nec segnis sit alvus, Tympania non formabitur: sin vero ita perierit vis intestinorum contractilis, ut plane sit iners; si continuo a prava diæta intestina distendantur, distentaque maneant; erit demum, ex proegumena & procatarctica causa combinata, causa proxima nata, nempe ipsa Tympanitis. Ex iisdem simul intelligitur, quod si omnis aër, ac fæculenta materies, expulsa fuerit, Curatio tamen mali impossibilis sit, si Nervorum Mesentericorum ac Mesocolicorum paralysis sit irreparabilis. Causa enim procatarctica assiduo renascens, dat cum hac perseverante proegumena, semper novam causam proximam.

§. II. Atque hæc dixisse de Tympanitide sufficiant. Sequitur nunc consideratio mor-

morbi, qui multa fæpe habeat cum illa communia; Hydropis ſcilicet abdominis, ejusque potiſſimum, quem *Cyſticum*, ſive *Saccatum*, adpellare ſolemus. Hic ſane Hydrops inæqualitate notabili & miranda ventris fere Tympaniam æmulatur; caretque ille fluctuatione aquarum in multis, ut hinc eo ſit Tympaniæ ſimilior. Attamen Reſonantia non adeſt: unde hinc hic ab illa internoſci poteſt. Sed ſi collectores caſuum conſulamus, dantur caſus rariores, ubi Tympanitidi Hydropus dicitur comitatus eſſe, aut ſaltem ſuperveniſſe: ſi id verum, & multis in cyſtis ille Hydropus colligitur, poterit reſonantia aëris ſuffocari ab aqua utriculis contenta, atque ita tota morbi alioqui clara idea, penitus confundi. Anamneſis bona, & exacta utriuſque morbi cognitio, poterit hanc confuſionem utcumque emendare. Ut ergo utriuſque morbi Diagnoſis illuſtretur,

juvat casus plures miserandos Hydropis recensere, & practice de eo differere.

Fœmina 30. annorum quartum infantem 21. Nov. 1758. feliciter enixa erat, sed tertio a partu die lecto imprudenter surgens, frigus suscepit: horrore inde atque ardore correpta, mox suppressa sibi lochia percepit, ventrisque deinceps tumorem, atque dolorem. Dolor quidem post aliquot dies remisit multum, tumor vero magna cum ventris gravitate perseveravit. Accessit me mense Aprili 1759. Quo quidem tempore cujuspiam liquidi fluctuationem, tum ipsa corpus sinistrorsum vertens percipiebat, tum nos percutiente ventrem manu evidenter deprehendebamus. Sed, ut decursus morbi docebit, omnis posthac fluctuatio cessavit. Conquerebatur autem dum me primum accederet, molestissimam sibi mansisse dextro in inguine duritiem, quam pugno magnitudine parem deprehendere potui. Diag-

Diagnosis ergo evidenter docuit Uterum a supressis lochiis inflammatum, suppuratumque fuisse; ac forte ipsum, vel Tubam Falopii, vel Ovarium, pure tumidum, inguini accubuisse, accrevisse. Quam sententiam immobilitas tumoris, quodcumque in latus se fœmina veteret, confirmabat. Pronosis tum ex hac ipsa fœmina, tum ex multis aliis, quas habueramus, mulieribus, multiplex erat: vel puris intra sanguinem timenda resorptio, quo demum sanguis totus corrumpatur, ac serius ocyus fœmina pereat: vel absorpti puris per alia viscera sperandæ excretio; unde perfectam consequi sanitatem notabilibus videram exemplis: vel etiam exitus puris in ipso accretionis loco per inguen prævidendus, cujus quoque exemplum habueram: vel denique, ut pus introrsum erumpens, in cavum ventrem effunderetur, omniaque ibidem viscera corrumperet.

Hunc ultimum eventum, quod frequens sit, quodque eum tam graphice *Hippocrates* descripserit, paulo attentius hic contemplemur. Ulcera demum hæc sunt, quæ Ἔμμοτα *Hipp.* adpellavit. Ita ut talia interna ulcera intelligenda sint, de quibus agit in *Aphor.* 47. sect. 5. Ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη, διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι. Quod *Almeloveen*, post plerosque interpretes sic reddidit „ si uterus coxæ incumbens „ suppuratus fuerit, necesse est medi„ camentum in linteo carpto adplicari. Hoc sensu *Oedipo* opus est, qui explicet. Nemo ex omnibus Interpretibus rectius *Prospero Martiano* verum sensum *Hippocratis* reddidit. Videatur is comm. pag. 460. Ita ut vera Aphorismi interpretatio hæc sit: „ Si uterus suppura„ tus ad coxam vel ignem, accubuerit, necesse est cava ulcera interna fieri.

Ac

Ac primo quidem ipſe uterus brevi a partu ſanguine turgens, magnæque adhuc exiſtens molis, ſi inflammatur ac ſuppuratur, mole adhuc creſcit, fitque gravis, ac facile alterutrum in latus cadit, & inguini, ac verſus coxam, accumbit, accreſcitque. Tuba Fallopiana, ipſumque Ovarium, eadem de cauſa pure tumens, facile cum inguine, ac margine toto Muſculi obliqui externi concreſcit. Rebus ſic ſe habentibus, periculum eſt, ſecundum & *Hippocratis*, & omnium obſervata, ne hic fiant Ἔμμοτα, ulcera cava interna. Hinc *Hipp.* Libr. de Nat. mul. cap. 6. pag. 684. apud *Chart.* Ἢν αἱ μῆτραι ἄψωνται, πρόστεινται· καὶ ἢν ἄψη, ὀψει σκληρὸν ὑπὸ τὸν νεφρῶνα. καὶ ὀδύνη λαμβάνει τὴν νείαιραν γαστέρα, καὶ τὰς νεφρῶνας, καὶ τας ἰσχύας. καὶ ἐς τὸ σκέλος ὀδύνη ἐπίπτει, καὶ ἐκτείνειν οὐ δύνανται· πολλάκις δὲ καὶ ἐκπυίσκονται ἔμμοτοι γενομέναι, καὶ ῥεόμεναι ἀποθνήσκουσιν, ἢν μὴ καύσῃς· ἢ τάμῃς.

μης. „ Si adhæserint uteri, incumbunt. „ Et si attigeris, durum quid sub ili- „ bus (sub laterum mollitudine, sub va- „ cuitatibus abdominis) deprehendens; „ dolor imum ventrem prehendit, & ilia, „ & lumbos; & dolor in crus incidit, „ ut illud extendere nequeat. Sæpius „ vero uteri suppurantur, in ulcera „ cava interna mutavi, & fluentes „ moriuntur, nisi locum vel usseris, „ vel secueris; „ ut nimirum pus ad exteriora alliciatur. Videte hæc omnia confirmata notabili Historia *Malienſis* Epid. 5. pag. 1149. Libr. *de Artic.* pag. 817. & 822. Edit. *Foës.* Deinde etiam Tom. VII. *Chart. Hipp.* pag. 684. 690. 740. 767. 813. Sed legendus ubique græcus modo textus; nam versiones hic loci nihil valent. Vidi in cadavere puellæ, quæ clam pepererat, neglectaque fuerat, suppuratum uterum cum omento primo caluisse in dextro latere, omentum hoc mire

mire degenerans & incraſſatum coiviſſe cum ligamento rotundo uteri, cum vaſis nerviſque cruralibus; ut longa patientia opus eſſet, antequam partes concretæ probe diſtinguerentur: fiſtulis, & ulceribus, maſſa tota penetrabatur.

Hiſce ita conſideratis, caſum noſtræ mulieris incipimus intelligere. Ἔμμοτα quippe, ulcera cava, fiſtuloſa, interna, ipſi aderant, unde pus cavum ventrem occupabat; cujus ſorte tantillum, a vaſis bibulis reſorptum, quotidie in Urina adparebat. Attamen ſolum pus non adeſſe, ſed etiam magnam aquæ copiam, fluctuatio docebat; id quod inde natum facile intelligitur, quod vaſis Lymphaticis & Uterus, & Tubæ, & Ovaria, undique ſcateant; quæ vicino pure eroſa ventrem facile colluvie aquarum inundant. Suppurato utero plus ſimplici vice aquam cum pure in abdomine effuſam vidi.

Vires

Vires ergo optime cum abeſſent, Paracenteſin 24. Aprilis inſtituimus, eduximusque liquidi ſubvirideſcentis, turbidi, inodori, Libr. 27. Venter videbatur jam integre evacuatus. Conſtringens ventrem machina poſt meridiem paululum laxanda fuit, cum Reſpiratio, mox ab operatione liberior, nunc impeditior fieret. Bene ſe poſtmodum per omnia habuit; ſomno, viribus, adpetitu. Eductus porro liquor, in 14 magnis vitris collectus, intra 8. horas cepit floccos oblongos, albosque, a ſuperficie deorſum verſus formare, & ſeq. die pus in fundo exhibere. Liquor tenuior ad ignem coagulabatur. Servavi hanc ſuis in vaſis materiem a 24. Apr. ad 5. Maji, & publico examini denuo ſubjeci. Nullus aderat fœtor, viridis, craſſa, flocculenta eſſe perſeverabat, ponens in fundo gelatinam ſpiſſam, nonnullis in vi-

tris

tris ſanguine, pure in aliis, miſtam. 9. Maji, 15. proinde die a paracenteſi, phænomena omnia eadem manebant. Tenuior effuſa pars colorem ſyrupi violarum minime mutavit, iterato licet ſæpius experimento. Cum aceto non efferbuit. Spiritus nitri affuſus nullam efferveſcentiam, ſed inſulam coagulatam, ad quamlibet portionem affuſam, producebat. Portio vero alia in cochleari igni impoſita, mox abivit in coagulum. Serum ergo, ſeu Lympha coagulabilis, eroſis vaſis Lymphaticis, maximam partem abdominis explevit, pus reliquam.

Ablatis tandem quæ abdomen per aliquot dies conſtrixerant faſciis, Tumor in inguine dextro apparuit, & 18. Maji jam percipiebatur ab inguine ſurſum creſcere, & verſus medium abdomen pergere, tactu durus, & plane immobilis. Simulque adeo tumidus venter, quam

ante

ante Paracenteſin adparuiſſet. Auguſti autem 10. durities toto fere abdomine, excepta regione iliaca ſiniſtra, percepta eſt, ſupra umbilicum jam eminens immobilis, inæqualis; ſed nec fluctuans, nec reſonans. Diuretica & purgantia menſibus Junio, Julio, Auguſto, data, eo uſque profuere, ut res domeſticas ſuas, multorum liberorum mater, ſufficienter peragere poſſet. Septembri vero menſe tumor totum ventrem medium, ad cordis ſcrobem uſque implet, ibidem capite adulti hominis major, & in latere ſiniſtro ad inguen uſque porrectus; durus ubique, decem forte in locis globoſior, & depreſſior; nec fluctuans, nec reſonans.

Interim obſervamus, quod in primo Hydrope non fuit, Muſculos abdominales adeo molles ac flaccidos, ut ſupra enormes hos tumores prehendi plicarique poſſint. An igitur, a prima ventris

tris extensione, musculi hi, totumque peritonæum, vim contractilem irreparabiliter amiserint, & in perfectam paralysin degenerarint? Plausibile hoc argumentum destruit sequens observatio. Tumores cysticos fœmina quæpiam habere a quinque mensibus coepit, prima vice vitæ suæ, ante id tempus perfecte sana; quæ tamen, tumidissimo cum ventre, flaccidissimos habebat Abdominis musculos. An ergo Nervi dorsales & lumbares ab internis tumoribus ita comprimerentur, ut Musculi abdominales hinc paralytici redderentur? Sed paralysis ejusmodi abesse nequit, nisi simul & alias partes afficiat, quæ hic non afficiuntur. Ad modum hunc solvendum plures primo casus observandi erunt, pluresque cadaverum sectiones faciendæ; unde eum nunc in medio relinquam. Id modo addendum habeo, quod in utraque hac fœmina Umbilici re-

gio arcte videatur cum cystico tumore connexa.

Gravem nunc ordimur quæstionem, qua petitur 1^mo. An nostra mulier novam subire paracentesin debeat? 2^do. An dictis cum remediis sibi sit linquenda? 3^tio. An vero methodum minus palliantem, tutius curantem, qua illi succuri possit, possideamus?

Intricata quæstio responsum suspendit, quum illud totam, qua late patet, quæstionem, coram cernere debeat, cum omni ea varietate, quam varii casus ejusdemmet morbi exhibent. Igitur plures primo recensebo, ut responsio ad omnes adæquate adornetur.

Fœmina 50. ann. rite perpetuo, dolorem ad instantia catamenia si exceperis, valens, anno 1758. finiente Septembri, cecidit ab altitudine 12. pedum; ita quidem ut toto sinistro ventris latere impingeret in ligneum sepimen horti, deinde,

de, gravitante corporis trunco, hinc in terram insiliret. Doluit inde venter, &, dolore mitigato, duri quidquam habuit, sensim crescens, immobile, explens demum præcipuam ventris partem, doloremque medio in epigastrio creans. Altero mense post casum circiter elapso, fœmina terrore valido, ac mœrore de incarcerato marito afficiebatur, ex eoque tempore ventrem universum tumere sibi percepit, durum, quod antea, corpus ultra non animadvertens. Toto Aprili 1759. vix horæ spatio somnum oculis videns, nihil appetens, & si forte quid appeteret, illud compresso ventriculo non admittens, ægerrime respirans, ad nostrum Nosocomium ducta est, in eoque susceptа. Examine instituto, nullum deprehendimus durum in abdomine corpus, sed æquabilem distensionem, & manifestam aquæ fluctuationem. Parvus ipsi, & celer, & inæqualis pulsus.

Quærebatur num præsenti in periculo versanti mulieri instituenda Paracentesis foret? Remedia diuretica mox ipsi exhibens, inutilia prorsum vidi, & e contrario vires indies minui, omnemque fere respirationem supprimi. An ergo certo interitui relinquenda? Paracentesis hic damnari solet, meritoque condemnabatur olim, quando Ars in debitam abdominis compressionem nondum satis intenta, respirationem, effluentibus aquis, suppressam cerneret, vitamque abeuntem in auras. Jam vero ars pro ratione effluentis Lymphæ arctans abdomen, ac vasa non sustentata sulciens, comprimensque, supplet functioni musculorum abdominalium, qui jam otiantur; impeditque ne humores per vasa olim compressa ægerrime, jam ab aquis prementibus libera, impetuose ruentes, haud sufficienter ferantur ad Encephalum. Quo igitur modo jam instituti

ſtituitur Paracenteſis, licet parum nonnunquam juvans, tamen vix unquam funeſta, & ſæpe vitam reddens ad tempus tolerabilem, præferenda certæ perniciei videbatur: maxime ea ſi fieret cautione, ut aquæ haud plus una vice demeretur, quam viderentur vires commode ferre.

Itaque octiduo integro bene apud nos enutrita, ac viribus aucta, operationem ſubiit 9. Maji, & ingenti ſuo commodo 35. aquæ Libras amiſit; ventre ita detumeſcente, ut nihil Lymphæ ſupereſſe videretur; quantum nempe faſciato ventre deprehendi potuerat. Aqua Limpida, ſed flava, erat, ad ignem coagulata, ſyrupum Violarum plane viridem reddens, cum aceto miſta minime efferveſcens, cum ſpiritu ſalis albeſcens, & in coagulum abeuns. Effectus habuit operatio omnes, quos a palliante cura expectare potueramus; reſpirationem

ſenſim expeditiorem, appetitum redivivum, prudentis alimentorum ingeſtionis tolerantiam, doloris abſentiam, copioſiorem urinam, naturalem, liquidiorem tamen, alvum, placidos, reficienteſque, ſomnos, demum auctas indies vires. Flatus modo moleſtos, ut prior illa, ut omnes quibus unquam Paracenteſin inſtitueramus, etiam & hæcce eſt conqueſta, idque jam mox ab operatione inſtituta. Opium hos flatus multum moderabatur. Quippe Inteſtina olim ab accumbente aqua vehementer compreſſa, jam eadem educta longe minus a conſtringente ventrem machina comprimuntur; adeoque ab alimentis, & ab aëre potiſſimum extenduntur; debilitata vix renituntur. Sanguis autem ſpirituſque in vaſa nervoſque commodius influunt. Cum tamen Inteſtina aërem & alimenta, præ debilitate ſufficienter propellere nequeant, variis in plagis neceſſario extendan-

tur, & in locis, ubi illa extenſio non adeſt, ſpaſmodice contrahantur, neceſſe eſt. Opium datum ſpaſmos ſolvit, efficitque ut contenta hæc per univerſum inteſtinorum tractum æquabilius diſtribuantur.

Attamen debuit ligatura, ſenſim jam laxata, 18. Maji auferri, cum recreſcentes aquæ reſpirationem fere ſuffocarent. 21. Maji dimidiam partem antiquæ molis venter jam erat adeptus. Et ipſe tumor, quem illa ante hydropem perceperat; quemque, Hydrope formato, nec ipſa, nec nos, ullo modo deprehendere potueramus; laxata prius ligatura, utcumque, ablata eadem manifeſtus adparuit, ſuperiora medii abdominis, dextrumque ejus latus occupans; haud ita tamen deorſum vergens, ut Uterum, aut Ovarium, affectum eſſe ſuſpicareris. Immobilis plane idem, haud tamen peritonæo ac-

cretus; aqua ad digiti lati distantiam inter hoc & illum manifesto, sæpiusque, deprehensa. Atque ita sensim increvit abdomen ad eandem, ad quam olim molem, imo ea majorem; cum jam ensiformis cartilago extrorsum a tumido corpore incurvaretur. Voluit tamen ad maritum, liberosque, redire, atque ibidem, me inscio, mortua est: ut aperiundi, quod doleo, cadaveris facultatem non habuerim.

Vidua 48. annos nata, plurium infantum mater, abdomine tumere cepit anno 1757. sed 25. Dec. ejusdem anni tota detumuit, enormi Lymphæ copia pleno rivo de pudendis prosiliente. Unde Hydrops uteri fuisse videtur, qui sic sponte curatus. Attamen rursum tumuit, tantam demum in molem, ut hujus, quem vivimus, anni Majo mense finiente, distantia a scrobiculo cordis ad umbilicum 4. pedum esset,

ab

ab umbilico vero ad pudenda 2. pedum. Umbilicus in genu altitudine inveniebatur. Ut longitudo, ita monstrosa plane ventris amplitudo fuit. Unde nec ipsa movere sese, nec ultra fere a suo famulitio verti, attollique, posset. Consilio indicto Medicorum, & ego rogabar. Fluctuationem manifestam immensæ aquarum molis percipiebamus omnes. Quærebatur modo, qua illam methodo juvaremus. An medicamento evacuante? Sed & moles major erat, quam ut hinc sufficiens evacuatio speranda foret; & Medici hisce dudum oleum luserant operamque. Quin imo ab aliquot diebus Respiratio suffocationis metum incutiebat, ut celeri auxilio opus esset. Num ergo paracentesis instituenda? certe permittebant eam ætas, viresque; suadebat suffocationis periculum; nec scirrhi forte præsentis suspicio dehortabatur, cum aquarum

evacuationem palliantem, ut ajunt, tantum intenderemus: eductis nimirum aquis homines suos scirrhos tolerabilius gerere, toties experti. Voce una ergo Paracentesin, qua unice imminens suffocatio averruncaretur, suasimus, laudavimus. Sed vero in Paracentesi ligandus venter est, & pro ratione effluentis laticis constringendus. Qualis nam machina, loris ac fibulis instructa, ad id apta erit? Et si apta, nonne flaccido jam tantæ molis ventre, inepta erit, quæ sufficienter adducatur? Itaque unam communem ejusmodi machinam primo apponendam esse; & mostroso corpori aliam etiam monstrosam machinam, quæ illico parari posset, circumdandam esse; ea quidem intentione, ut si flaccido ventre major machina inepta, quæ sufficienter adduceretur, foret, minor supposita ventrem constringeret. Quod si commode liberaliorem aquæ eductionem

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0100
DFG

nem non ferret, parciore desistendum esse concluſum fuit.

Igitur in inferiore parte, eaque dextra, ventris, facta apertura, 37. aut 38. Libræ effluxere liquoris non fœtidi, sed fusci, turbidi, amurcam plane referentis. Substitit tunc fluxus omnis. Percipiebaturque cannula in corpus durum impingere. Penetrandumne per illud esset? Negabatur: ignorabamus enim an id non foret quodpiam scirrhosum viscus, quod pertusione malignum fieret. Sed quid si saccus durus, ac semiscirrhosus ingentem liquidi seu boni, seu corrupti, copiam contineret? Nonne pertusus evacuaretur? Evacuaretur quidem, sed primum in abdominis cavum; remotus enim ille a peritonæo erat, cum inter hoc & illum tot Libræ amurcarum jam effluxissent. Ponamus ergo sacco pertuso liquorem effluere putidum, ichorosum, sanioſum can-

cancrosum: nonne ille, alluens ad intestina, cæteraque viscera abdominis, corrumperet eadem, mortemque, quam procrastinare animus erat, acceleraret? Sed contra: Instrumento trisulco in saccum adacto, an cannula non clauderet foramen; ita ut, quemadmodum ex externo abdomine liquor copiosus cannula effluxisset, ita etiam ex sacco effloeret? Ita; sed considerabamus, amurcam quæ effluxerat intuiti, improbabile non esse, quo spissus, si quem durum hoc corpus gereret, amurcosusque humor foret, per cannulam minime prosiliturus, &, eadem ideo extracta, in cavum ventrem effluxurus. Saltem maturius super hoc deliberandum esse, & jam corpus refocillandum, ac quieti tradendum fore. Levamen ab operatione nullum percepit, nisi 12. postea horis; jam, inquiebat, me bene habeo, simulque expirabat. Mo-

le-

le cadaver vix imminutum, terribili mephiti totas explevit ædes: ita ut veniam ejus aperiundi $2\frac{1}{2}$ a morte diebus nacti, re infecta aufugerimus, ne curiositatis pœnas, ut olim egregius Anatomicus *Cantsius*, insontes lueremus.

Homo 49. ann. Hydrope ascite, ac simul anasarka laborans, in Nosocomio dicto *Becken-häusel*, mense Octobri 1758. ab optimo ibidem Physico *Störck*, vino squillitico curabatur, ut suos denuo labores perficere posset: superstite tamen tumore duro, immobili, in Epigastrio. Curando illi varia quidem moliebatur Medicus, sed æger, victus prolibus quæritandi desiderio actus, curam sui neglexit. Unde denuo eundem in morbum relapsus, idem repetiit Nosocomium. Cum jam incassum quævis remedia adhibita essent, Paracentesis instituta est, & centum

aquæ

aquæ turbidæ, ac rubræ, libras eduxit.

Evacuato ventre, qui olim in Epigastrio perceptus tumor, is jam longe extensior deprehendebatur. Dabantur selecta remedia, sed incassum. Crevit enim ita Hydrops, ut exacto a prima Paracentesi mense, altera institueretur, ne suffocaretur, similemque & natura, & copia, materiem educeret. Id quod deinceps quovis mense septies repetitum. Post septimam Paracentesin videbatur 14. diebus belle se habere, postquam iterum, immane quantum! intumuerit. Virium projectio, appetitus prostratio, febres, ac sudores, octavam dissuadebant: sed veritus homo, ne aut venter sibi finderetur, aut respiratio plane deficeret, octavam voluit subire: eductisque iterum 100. propemodum aquæ Libris, multum levaminis percepisse sibi visus est.

est. Attamen collabascentibus pedetentim viribus undecimo ab illinc die periit.

Cadaver exhibuit omentum in pelvim usque propendens, mutatum in crassum atque membranaceum Marsupium, anteriore facie peritonæo, posteriore hinc inde intestinis accretum. Nulla in cavo abdomine aqua, in sacco vero Omenti copiosissima, rubraque eadem, & fœtida. Ipse porro saccus ille crassus, steatomatosum tumorem gerebat, massæ informis, 33. Libras medicas pondere æquantem. Nonnihil aquæ & Thorax habebat. Similem fere casum *Horstius* habet, Op. Med. Lib. 2. Tom. 2. obs. 4.

In eodem Nosocomio fœmina circiter quadragenaria, enorme gerens, mole aquarum, atque ob eam fere suffocata, amisit paracentesi 60. circiter Libr. medicas aquæ subrubellæ ac glutinosæ.

Suble-

Sublevabatur inde. Sed quod antea nunquam experta erat, jam in pectoris finistrum latus, citra intentatas suffocationis minas, ultra decumbere non potuit. Signa praesentis fors hydropis pectoris ejus paracentesin postulassent, ni & ipsa eandem formidasset, & vires dissuasissent exiguae. Porro a Ventris paracentesi primis 14. diebus venter haud multum crevit, sed duros modo in toto Epigastrio tumores exhibuit: elapsis vero hisce diebus tumor ventris universi denuo crevit, viresque ita projectae sunt, ut aegra bimestri posthac spatio elapso interiret.

In cadavere plurima aqua explebat abdomen, Hepar omnino scirrhosum, ac finistro lobo suo farciminis instar productum, splenique accretum. Ovarium dextrum, ut publica demonstratione Auditoribus exhibui, in duo magna, eademque rotunda fere, corpora formatum, puri-

formi-

formi materia plena. Cavum dextrum Thoracis admodum Hydropicum.

§. III. His variis hiſtoriis relatis ad quæſtionem paulo ante pag. 82. propoſitam; utrum nempe Paracenteſis noſtra in fœmina ſit repetenda, an vero Ars noſtra aliquid poſſideat, quo vel conſtantius ſolamen, vel integram conferat ſanitatem? ad hanc, inquam, quæſtioſtionem reſponſum nunc adornare convenit.

Si *Tomum alterum Acad. Chir. Reg. Par.* conſulamus, viderentur efficaciora iis, quæ nos adhibuimus, auxilia modernis innotuiſſe Chirurgis, ac pulcris confirmata exemplis fuiſſe. Referunt hæc *Acta* VII. hiſtorias Hydropis, ut ajunt ſaccati, nec non ſcirrhoſi Ovarii. Habetur deinde erudita Epicriſis clari in arte chirurgica *Morandi*, qua impenſe laudat chirurgorum conamina, qui Paracenteſi minime contenti, Abdomen

lata plaga vulnerarent, saccique, tum membranosi, tum etiam jam scirrhosi facti, in quo inclusum liquidum, integra hoc modo evacuationem, collapsum, consumtionem, efficere annisi essent; imo qui in posterum scirrhosum ovarium, quod cystici hydropis frequens sedes, veluti castrando essent exemturi. Tandemque finiens in hæc verba erumpit „ La Chirurgie moderne est capable „ de grandes entrepriſes; on ne sauroit „ lui ouvrir trop de vües pour guerir.

Sane si omnes saccati Hydropes in ovario essent, iidemque perpetuo, lateque, peritonæo accreti; vel si essent inter Peritonæum & musculos abdominales; si præterea ipsi sacci membranosi tantummodo, non vero crassissimi & valde scirrhosi essent; si denique in eodem homine saccus duntaxat unicus, & non, ut sæpe fit, multiplices essent; laudaremus cum *Morando* hæc molimina:

na : sed haud videmur certi semper esse de parte affecta, de natura affectionis, de numero loculorum, qui humores includunt. Si enim propriam meam experientiam mente recogito ; si ingentem illam observationum sylvam apud Collectores casuum revolvo ; si denique ipsa Academiæ chirurgicæ exempla examino : jure videor dubitare an cura ibidem commendata sæpius non frustranea, imo & periculosa foret ? Unde juvat accurate rem totam examinare.

1^mo. Sacci hi peritonæum inter, musculosque abdominales, reperiuntur. Ita in iisdem Actis casus Chirurgi *le Dran*, n°. 1. ille domini *Mouton* n°. 3. & Domini *la Chaud* n°. 4. Quod enim ultimus saccum inter Peritonæi duplicaturam formatum dixerit, id, inquit, *Morandus*, ex veterum opinione, postmodum correcta, proficiscitur : unde idem sic concludit : „ Ce n'est pas la premié-

„ re fois qu'on a tenu ce langage; mais „ les Anatomiſtes ne l'admettent point: „ & je crois que cette Hydropiſie pre- „ tendüe entre les deux Lames du Pe- „ ritoine, n'eſt autre que celle, de l'e- „ ſpéce raportée par Mr. *Mouton* „ nempe inter Abdominis muſculos & peritonæum. Eratque eadem de ſede hujus Hydropis ſententia magni *Ruiſchii* Obſ. anat. chir. n°. 45. Videantur hic *Douglas* & *Winslow* de Peritonæo.

2. Saccati Hydropes fluctuant nonnunquam in abdomine, nullibi accreti. Ipſe *Morandus* talem communicavit cum *Acad. Reg. Sc. Par.* ann. 1718. Cujus ſacci particula, in ipſa paracenteſi lacerati, claudebat cannulam, extractaque cannula, vulnere prodibat, & ad duas ulnas extrahebatur, poſtquam demum abundantiſſima aqua effluxit. Addit oblongas has lacinias laceratam membranam vere retuliſſe. Attamen aquas, ci-

cito renatas, alteram, & tertiam paracenteſin, unius menſis ſpatio ſingulis interpoſito, poſtulaſſe. Jam vero in *Act. Acad. Chir.* addit in ejusdem hominis denati cadavere detexiſſe ſe hujus ſacci reliquias, libere in abdomine, nulla facta adhæſione, hærentes.

3. Tumores hydropicis in corporibus reperire eſt, qui Peritonæo non accreti, imo ab eodem remoti ſunt, & ſuo nihilominus loco fixi, immobilesque. Fœmina in Noſocomio noſtro, cujus Hiſtoria pag. 82. relata, gerebat tumorem maximum, duriſſimum, ad digiti lati diſtantiam a Peritonæo remotum; ut interpoſita aqua manifeſto docebat. Tumida ejusmodi corpora, a peritonæo multum remota, variis viſceribus, ſeu radicibus inhærere, ſequentia probabunt.

4 Nonnunquam ſacci Hydropici, tumoresve purulenti, ſteatomatoſi, ſcirr-

hosi, a scirrhoso Hepate, Liene, Mesenterio, Omento, Utero, Ovario &c. proficiscuntur, tenuiore, ampliore, pedunculo inde penduli; iidemque aut libere fluctuantes, aut lapsu temporis demum tum vicinis partibus, tum peritonæo, affixi.

A. Ita inveni in Septuagenaria Ovarium stupendæ molis, totum fere abdomen explens; aqua, ichore, pure, infarctum, undique liberum; simulque veram præterea Ascíten.

B. Marsupialis figuræ ingens Omentum, saccum Hidropicum fecit ipsum, tota facie anteriore cum Peritonæo, posteriore multis in locis cum intestinis connatum, in Viro cujus historia habetur pag. 93.

C. Tumores universi abdominis, inæquales, compositi ex meris Hydatidibus, integrum ventrem replentibus, extendentibusque, in saccis quamplurimis

mis Lympham continentibus, *Ruiſchio* comparebant *Obſ. anat. ch. n°* 46.

D. Hydrops abdominis datur cum tumentiſſimo, & inæquali Hepate, in Hydatidas toto converſo. *Ruiſch. ibid.* n° 45. Et iterum n° 65. ubi pertuſio ejus letalis fuit.

E. Venter in Hydropico inæqualis, inventus a morte fuit pluribus, iisdem mole prægrandibus, in Menſenterio deberi tumoribus. *Blanckart Cent.* 2. n° 30.

F. Idem n° 25. detexit, præter caſum *Ruiſchii* ad Lit. C. ſimul veram Aſciten. Hæc ipſa fœmina initio ab Hydrope curata videbatur, remanente duritie lapidea in abdomine; recrevit poſtea malum.

G. Geminum ventris tumorem Virgo gerens, falſo creditur ab obſtetricibus paritura gemellos, moritur. Meſenterium exhibet duo ingentia ſteatomata, quorum alterum pus, ac ſaniem, in ca-

vum ventrem effuderat, ipsum uterum eroserat. *Tulp. Lib.* 2. n° 33.

H. In Mesenterio Tumor reperitur 20. Libr. pondere, extrinsecus membranaceus, intus hydatibus refertus; sed præterea & Hydatides aderant Ascitin facientes. *id. ibid.* n° 34.

I. Tumor Pancreatis ac Mesenterii 10½ Libras ponderans, invenitur cum enormi Ascite *Planck. Cent.* 1. n° 37.

5^to^. Ipse uterus immane quantum aquis possit extendi! Fluctuationis perceptionem percusso abdomine exhibet, mentiturque Asciten. *Blanckard. Cent.* 2. n° 29. Uterus hic continebat ichoris, ac materiæ oleaginosæ, 85. Libras mercatorias.

6. Ventriculus in Hydropici cadavere invenitur sedes esse Hydropis, ulnæ magnitudinem habens, peritonæo firmiter accretus: ita ut sectio, quæ puncto abdomine aquæ 90. Libras eduxerat,

xerat, reperiretur eam ex cavo eduxisse ventriculo. *Idem Cent.* 1. n° 84.

7. Hydatidas multas in cavo abdominis extendi posse, in punctis contactuum mutuo inter se agglutinari, alia sui parte cum peritonæo coalescere, in cadavere Quinquagenariæ inveni: ita quidem ut clarus apud Haganos *Velsius*, egoque, pertundentes Abdomen, inveniremus forte 20. & plura conceptacula aquæ, singula mediam, integram nonnulla Libram aquæ continentia, concreta tum inter se in punctis contactuum, tum cum peritonæo. Ovarium sinistrum caput infantis recens nati referebat; dextrum, biennis: hydatibus utrumque cinctum.

8. Actis *Edimburg.* part. 2. n°. 30. refertur mira prorsum historia juvenis hydropici, ei, quæ pag. 82. ex Nosocomio nostro recensebatur, simillima, ortu, progressu, figura, symptomati-

bus. Paracenteſi 12. Libris virideſcentis Lymphæ eductis, æger poſtridie moriebatur. Triplici cauſæ hic fuit ventris adſcribenda moles. Primo Aſciti. Secundo Hydropi Lienis, qui ſupernumerariam tunicam a Peritonæo, qua parte Diaphragma ſuccingit, accipiens, inter hanc, & propriam ſuam tunicam, aquæ limpidæ, inodoræ, non coagulabilis, ſed admodum muriaticæ, ſex Libras continebat. Tertio, immani Veſiculæ felleæ amplitudini, quæ in concentricos loculos, ſingulos bilem continentes, diviſa, octo libras bilis ſpiſſioris gerebat. Porro neque veſica fellea, neque lien, deprehendebantur peritonæo connati.

9. Datur ventris tumor enormis, durus, æqualis, in corpore ſumme cachectico, ubi omnis ſuſpicio enormis hydropis ſaccati adeſt, maxime cum abdomen totum expleat, excepta infima

sima hypogastrica regione; ubi tamen monstrosa abdominis moles unice debebatur saniſſimis, &, citra notatum Anatomicis exemplum, mole immensis, Hepati, & Linei; ut 2. jan. 1759. publice demonstravi in cadavere adolescentis 14. annorum, spina ventosa, omnes dorsi ac lumborum vertebras, etiam os sacrum, exedente, enecti.

Sufficiunt, ni fallor, hæc, tam claris descripta Autoribus, quam observata nobis, exempla, ut varietas pateſcat causæ, sedis, phænomenon, in Hydrope abdominis. Quærebatur modo num certius, tutiusque, adplicatis hucusque, auxilium nosset Ars nostra, ad curandum hunc morbum?

Intentio expertorum *Acad. Gall.* Chirurgorum ea demum est, ut in Hydrope saccato foramine Paracenteseos non contenti, idem insigniter dilatent, latamque aperturam diutiſſime apertam servent;

vent; ut haud modo is, qui in ſacco cavo eſt, effluat humor, ſed etiam ille qui poſthac aliunde in eundem influit. Quippe ſaccum, foramine paracenteſeos clauſo, a vaſis in illum hiantibus denuo impleri, idque citius quam prius, tertia citius, quam altera vice, & ſic porro: lata vero apertura facta, quod in ſaccum de integro perpluat, tranſſudetve, exſtillare id foras: ſacci latera, haud extenſa amplius, concidere, corrugari, condenſari: hinc exhalantia in illum vaſa ſenſim arctari, minui, deleri, in fibras fere abire: hac lege demum tam parum in ſacco colligi debere, ut totum facile apertura effluat, & ſaccus concidat totus. Id vero totum quo rite fiat, Artificem oportere maturius advocari, quam ut ingens jam factus ſit ſaccus. Opus hoc facilius promoveri continuis injectionibus, v. g. Decocti hordei, mellis &c. Imo

eo

eo pervenerunt, ut ſtatuant quamprimum percepto Ovarii Scirrho, & nondum prodigioſo ſacco inde producto, Ovarii ipſius extirpationem indicari: quod illibata vita, illibata ſanitate, effici poſſe quibusdam allatis teſtimoniis ſtatuminare ſatagunt. Finemque demum his omnibus *Morandus* imponit exclamatione ſuperius citata. „ Eſſe ita „ cum Moderna Chirurgia comparatum „ magna tentare ut auſit: nimium fo„ re nunquam, qui ipſi proponatur, „ curandi ſcopum.

Nequeo non laudare, ſummiſque celebrare encomiis, qui artem promovere noſtram generoſe annitantur. Plurimis enim adminiculis jam gaudemus, quæ difficilia, imo quæ impoſſibilia ætas remotior crediderit. Induſtria humana nullis addicta hypotheſibus, ſolis innixa obſervationibus, Artis noſtræ pomeria indies extendit, eorumque,

qui

qui id perfecerint, nomen æternum cluet. Hinc cum reliquis publicis Actis, quibus numerosæ Eruditorum Sodalitates, ut cæteras artes, ita & nostram, perpoliant, illustrent, extendant, hæc chirurgiæ *Parisinæ* Acta per omne ævum clarebunt. Sed antequam egregia hæc conamina, quæ Theoria formavit, unum quoque alterumve experimentum suggessit, stabilem praxeos legem forment, perpendendæ primum erunt, quæ in eadem exsequenda occurrant, difficultates.

Primum itaque, ut a Castratione exordiar, si eam in avibus, pecudibusque, homines instituant, non inde datur ad castrandas mulieres argumentum. Nam primo in brutis nihil periclitamur si inde pereant, ut quædam inde perire certum est; in homine homicidium, si inde periret, foret. Secundo, non habemus, qui affirment, scrip-

ſcriptores, inter humanas femellas inculpate id tentatum eſſe. Videtur equidem a *Morando* autoritas *F. Plateri*, ac *Diemerbroeckii* laudari; verum, ut mihi ſaltem videtur, minus convenienter. *Plateri* locus eſt *Libr.* 1. *Obſ. pag.* 261. 262. Totum quod dixit, meræ ſpeculationis eſt: imo quo ſermone ad finem utitur, eo aperte teſtatur & ſine vitæ periculo aliquo inſtitui non poſſe, & nondum ſe legiſſe quod a quopiam id tentatum fuerit. Et quid hic *Diemerbroeckii* autoritas? Diſerte condemnat ille *Plateri* ſpeculationem, ſtatuitque citra ſummum vitæ diſcrimen, & citra ſummum Chriſtianorum dedecus, id nunquam poſſe fieri, *Anat. Libr.* 1. *cap.* 24. Igitur haud oportuiſſet, ut mihi videtur, hos binos laudare autores, qui nihil minus, quam quod egregius Vir velit, ſtatuerint. Quod *Heſychius*, & *Athenæus*, & *Alexander ab Alexandro*, de

de barbararum Gentium nefando, aliumque in ſcopum intento, auſu meminerint, etiam nullius eſſe ponderis mihi adparet. Quid enim nobis, cum gentibus efferis, qui mancipiorum vitæ ſe arbitros crederent? Et ſi *Franckenau* caſu ſemel viderit in vivis manifiſſe fœminam, cui in vulnerato abdomine ſimul ovarium periret, quid inde ad praxin? Si per momentum ſupponeremus ſani ovarii exſectionem nefandam ſalva vita fieri nonnunquam poſſe, an ideo concludemus Ovarii degeneraſcentis, vaſaque diametri ingenitis habentis, exſectionem etiam ſine periculo fieri? Id mox patebit.

Sed ſecundo dico & rationi adverſari. 1° Scirrhoſum Ovarium eſt, quod integrum exſcindere eſt animus. Scirrhoſum porro Ovarium & ego, & mecum plures, multoties in cadaveribus deteximus undiquaque connatum, ſcirrhoſis-

sisque annexum productionibus. Ut periculum ingens tunc esset, ne vel Tuba Fallopii, vel Fimbria ejus, imo ne vel ipsa læderentur intestina, aliæve nobiles, quibuscum connatum sit, partes. 2. Scirrhosa pars, ut mole crescit, ita & vasorum diametro: abscindendo igitur Ovarium, poterit Chirurgus hæmorrhagiam, cui sedandæ impar sit, producere; modo v. g. spermatica arteria ad suum, in Ovarium, ingressum, diametro multum amplificata sit. 3. Non semper ovarium est, quod durum extensumque in laterali Hypogastrio detegimus, verum aliquando tuba degerans, ipseque uterus, ut pag. 74. advertimus ex *Hippocrate*. 4. Ipsa vulneris consideratio in corpore Cachectico, ut passim hæ mulieres id habent, quod hic latum esse oportet, hanc operationem condemnare videtur, ratione eorum, quæ sub ipsa, postque

ipsam, generalis vulnerum historia docet. Consultum igitur mihi videtur, hanc Operationem haud ita promovere, ne forte temerarii nonnulli chirurgi eadem in humanam perniciem abutantur.

Jam ipsam sacci hydropici dilatationem examinemus.

1° Sacci hi habentur tantæ sæpe molis, ut integrum ferme expleant abdomen, cohæreantque cum Peritonæo, & Visceribus abdominalibus. Apertura igitur lata, diuque servata aperta, poterit sacci quidem minuere profunditatem, vix vero ejus aut latitudinem, aut altitudinem. Ergo vasa liquorem in cavum saccum instillantia vix contrahentur; & quia prementis liquoris resistentia ablata est, copiosius jam fundent humores suos: quæ ratio primaria est cur etiam post Paracentesin Hydrops longe citius quam antea recrescat. Etenim incipiente primum Hydrope, va-

sa

sa in initio minima sunt, parumque transmittunt. Extendente se sacco, amplificantur & vasa illius. Quandiu magna est resistentia a liquidis sacco contentis, vasa lente, quamvis sensim jam amplificata, novum liquidum stillant, adeoque primum Hydropem lente producunt. Dum vero distentissimus saccus, humoribus evacuatis nullam in sua cavitate resistentiam habet, vasa ampliſſima vacuata, aliunde valide implentur, & intra mensem forte plus liquidi suum in saccum effundunt, quam triennii olim spatio. Igitur in dato hic casu corpus totum extenuetur oportet, derivatione humorum undique facta in cavum saccum. Sed & aër, vulneribus adeo pernicioſus, latiſſima superficie vulnus, totumque hunc saccum alluens, idque in Cacochymico corpore, putredinem brevi inducere potest.

2. Sacci hi & a me, & a claris, quos citavi, Autoribus, & a plurimis aliis, aliquando inveniuntur digitum, duosve digitos crassi: ita ut licet humor lato vulnere assiduo effluat, iidem tamen contrahere se nequeant. Unde vasa in saccum se evacuantia, si jam intus nullam resistentiam offendant, copiam certe longe majorem aquæ dabunt, cum diametro aucta maneant.

3. Iidem sacci sæpius reperiuntur postica facie cohærere cum Intestinis. In his hominibus sensim ac lente comprimuntur Intestina, & tandem difficulter, & cum dolore, exonerant sese. Hinc male habent. Ubi vero saccus evacuatus est, idemque durus ac crassus est, Intestina illi nonnullis in plagis connata, vehementer dolere atque inflammari possunt, cum aquis sublatis minus pressa, liberius agant, moveantque sese, connata sacco duro tamen. Et hinc forte

pro

pro parte dolores illi, ac ſpaſmi, quos primo a paracenteſi tempore conqueri homines ſolent.

4. Neque craſſæ duntaxat ſubſtantiæ nonnunquam hi ſacci ſunt, verum etiam ingentibus obſita ſcirrhis; ut iidem illi, quibuscum nunc agitur, fatentur autores. Scirrhi hi, præſente aqua ſuſtinebantur, ſulciebantur: jam vero iisdem elapſis, ſaccoque concidente, ſe mutuo fricant, dirosque minitantur Cancros.

Oggeret forſitan quispiam tum hanc, tum n° 3. allatam difficultatem, æque in paracenteſi obtinere, quam in dilatato vulnere ſacci; adeoque ſi ratiocinium hoc quid valeret, etiam paracenteſin ultra inſtituendam non eſſe. Sed huic reſpondeo primo, Paracenteſin in his deſperatis caſibus modo inſtitui, ut certa alioqui pernicies procraſtinetur. Secundo ſubitum aquarum a Paracenteſi reditum

hunc motum, hunc impedire affrictum. Unde nullius vis hæc objectio est.

5. In ipsa hac dilatatione, quæ ad 3. 4. 5. digitos lata sæpe fieri debeat, oportebit sæpe ipsos transcindere saccos. Præterquam quod scirrhus sic vehementer irritetur, vasa sanguinea in scirrho magna, nec duris in his massis facultate se retrotrahendi gaudentia, hæmorrhagiam letalem producere poterunt; quemadmodum Scirrhi & Cancri Mammarum toties ostendunt. Video equidem sapientem *Morandum* n° 8. testari: „ Il m'est arrivé plusieurs fois de por„ ter le Trois-quarts dans ces masses „ (Skirreuses) il en sortoit du sang; je „ reportois le Trois-quarts en d'autres „ points, l'eau sortit, & il ne résul„ toit de la fausse ponction d'autre ac„ cident, que la douleur passagere d'u„ ne piquure. „ Verum primo, lata sectione longe plures arteriæ perscindun-

tur,

tur, quam in punctura *Morandi*. Secundo, ipsa scirrhi natura docet ejusmodi punctura haud semper impune patrari. Tertio in relatione hujus Autoris non notatur eas, quibus punctura talis inutilis facta esset, ad sanitatem rediisse.

6. Sæpius tumores reperire est in Mesenterio, in Hepate, in Ovario, in saccis ab ovario, aliisve visceribus, productis; qui, ut exempla allata docuere, peritonæo nullibi accreti sunt. Ita in binis nostris in Nosocomio fœminis, hydropico maxime abdomine nullus tumor percipiebatur, quia tumorem inter peritonæumque moles aquarum. Vacuo autem abdomine, & maxime recrescere coepit aquis, digiti aut pollicis distantia interesse clara deprehendebatur. Si hoc in casu lata plaga abdomen, saccumque perscindam, effluent quidem ex utroque aquæ, ichor, sanies, pus, quodcumque demum in eodem continetur;

tur; sed ex sacco simul aliquid in cavum ventrem effluet, ubi ille evacuatus fuerit: & quandiu illa lata apertura patebit, semper plus in cavitatem peritonæi stillabit, quam extra illud, cum nulla hic adhæsio sit. Porro si aqua pura exstillat, erit Hydrops perpetuus ventris; si liquor putridus, brevi abdominis ac pelvis viscera pessundabuntur, mortemque accelerabunt.

7. Nonne latum hoc abdominis vulnus inutile videtur, imo noxium, in Casibus n°. 4. Lit. G. & I. n°. 5. 6. 7. 8.?

8. Quod jam supra innui, si quis velit vulnus 3. 5. 6. & ultra, digitos latum abdomenque penetrans, semper omni prorsum periculo carere; eique hoc per momentum concedamus; haud tamen illi concedemus Vulnus tantum, in Corpore cacochymico & cachectico, ut ejusmodi homines passim sunt, vacare periculo. Vulnera in sanis periculo va-

vacua, ſolent haud raro in morboſis periculum inferre; ut toties in Relationibus ad Judices Medici ac Chirurgi teſtantur.

Has utique nunc enarratas difficultates lubens fateor me hucuſque impediviſſe, quo minus optimorum Virorum *Acad. Reg. Par.* tum amplexus ſententiam fuerim, tum exſecutus: certiora prius obſervata, numeroſioraque experimenta, in ſubſequentibus Acad. Tomis, antequam imitari auſim, expectaturus.

Paracenteſin interim præfero hucuſque, quia in ſaccato Hydrope vitam alioqui ſuffocandam protrahit, & intolerabiles minuit anxietates. Si pluribus utriculis liquor contineatur, vix juvabit; ſed neque tunc utilis incidendi methodus erit. Si Scirrhi adſunt viſcerum, neutra methodo curabuntur, ſed eductio aquarum per paracenteſin

Scirrhis minus nocebit, quam incidendi methodus, ut ad n°. 4. oſtendi. Si vero unus alterve caſus extat, in quo Paracenteſin mors brevi ſequatur, ut erat monſtroſus ille hydrops pag. 87. oportet hoſce deſperatos cæteroqui exiſtimare, ita ut etiam citra Paracenteſin mors ſubſecuta fuiſſet. Porro agitur hic tantum de Paracenteſi in cyſtico hydrope inſtituenda; ſi enim vera aſcites eſt, eaque recens, & corpus cæterum bene habet, paracenteſis ſimul & ſemel Hydropem non raro curat integre.

Eſt nihilominus, ubi Natura ipſa exceptionem faciat, & abdominis latam aperturam indicet. Aug. 22. nos fœmina acceſſit, quæ 5. Junii peperat. Hæc a dextro umbilici latere dolorem tempore graviditatis perceperat, a partu vero tuberculum; quod ſenſim creſcens tandem in tumorem durum abivit, qui pluſquam 5. pollices utraque dia-

diametro referebat, eo dolentiorem, quo mole majorem. Utrumvis in latus illa decumbebat, hic tumor plane immobilis erat, peritonæo proximus, & verosimiliter eidem accretus. Mensibus a partu carebat. Appposui emolliens atque discutiens cataplasma, remediaque solventia interna præscripsi; attentus in eventum, quem tumor hic dolens, nullam febrim comitem habens, esset habiturus. 29. Aug. dolor, tumor, rubor, externo jam abdomine observabantur; quare emolliens, & maturans cataplasma adhibitum est. Postera die, copioso pure fluctuante, apertura lanceola facta est; exivit puris dimidia libra, ut & die sequenti, reliquis quidem diebus minus, quo tempore deligabatur vulnus, sed continuo tamen hucusque pure locus totus madet. Injectiones cum aqua hordei & melle bis die fiunt, & aperturam, sat latam,

diu-

diutissime apertam servare animus est. Tumor minuitur, totusque emollescit. Dolor vix observatur. Stylus ductilis reperit saccum undique clausum, sed sensibilissimum. Hic nunc casus est, Natura monstrante viam, in quo *Parisina* Methodus juxta perpetuas Naturæ leges usui veniat; alias ineluctabilibus difficultatibus ut mihi saltem videtur, plena.

§. IV. Supersunt quædam Problemata solvenda. I. Quid causæ, quod facta Paracentesi sæpe longe citius renascatur Hydrops, quam primum natus esset? Respondi jam pag. 118. ad hanc quæstionem. Ponamus Hydropem cysticum primum nasci in parva cujusquam visceris Hyatide. Lente admodum Membrana continens a mole minima in majorem extenditur, ut semianno, biennio, quatriennio decennio, & quod plus est, indigeat, antequam verum referat Asciten. Facta jam paracentesi

Mem-

Membrana maxima, intus cava, Lymphaticis osculis pertusa millenis, mox denuo repleatur necesse est; cum nulla intus resistentia sit, & in inania spatia humores undique veluti attrahantur.

II. Undenam Hydropici aquam nonnunquam citissime colligunt? Ita ut a Paracentesi elapso vix octiduo nonnulli 50. Libras aquæ recolligant, interea temporis vix potantes? Idque ad singulas paracentesses? Cur in relatis Historiis vix poti homines, singulo mense 100. Libras paracentesi evacuarint?

Cum neque ore liquor corpus intraverit, neque ipso corpore suppeditari potuerit, necesse est ipso in aëre causam quæri. Adverterat sua in Chemia Clarissimus *Boerhaave* aëra, etiam siccum, aqua saturum esse, inde corpora humescere, & si apta, quæ veluti

ti attrahant, corpora inveniat, aquam inibi deponere ſuam. Ita Cap. de Theoria Aëris, explicans quomodo uncia una ſalis tartari ſicciſſimi tandem uncias quatuor olei tartari per deliquium, aëri tantummodo expoſita, exhibeat; credit 1° hoc fieri vi, ut dictum eſt, attractrice inter aquam aëris, & alcalinum ſalem. Vel 2^do ex eo quod in loco quieto, clauſo, ſubterraneo, ubi hoc experimentum fiebat, aër perpetuo moveatur, & ſic ſuam aquam ſucceſſive ad ſalem adplicet. Vel 3^tio ex eo, quod aquæ partes ita moveantur per aëream molem, ut jam in hac, jam in alia parte ſpatii aërei ſint, atque ita tandem omnes concurrant cum illo ſale, qui intra hunc aëra eſt poſitus. Addit demum: „ Verum credibile eſt „ omni de genere Experimentorum, „ quod omnes illæ cauſæ ſimul concur- „ rant ad eundem effectum producen- „ dum.

„ dum. Ne quis autem credat experimentum in humido ſubterraneo aëre modo ſuccedere, haud vero in ſicciſſimo, addidit *Boerhaave* experimenta ſicciſſimo hyemali aëre facta, quibus evicit etiam ultra tertiam ponderis ſali accreviſſe ſpatio 14. dierum.

Quæ cum ita ſe habeant, credibile admodum Hydropicis corporibus latentem diſpoſitionem ineſſe, qua aëris aquam continuo imbibant. Et ſi intra paucos dies ex ſicciſſimo ſale tartari naſcatur oleum tartari per deliquium, id eſt, ſi ſal tartari ex aqua aëris tribus quartis partibus pondere intra paucos dies creſcat; haud ita mirabimur hominem 150. Librarum, paucos intra dies, Libris 50. & pluribus graviorem fieri, & nova paracenteſi totidem aquæ Libras emittere, licet toto eo tempore vix liquidi quidquam hauſerit. An ſacci hydropici poſt paracenteſin Vacui-

tas

tas in omnibus aquam aëris attrahat, & sic una cum data antea causa hydropem renovet actutum? Intelligitur hinc humida Athmosphæra, humidis ædibus, Hydropem in Prædispositis nasci facilius, renascique.

III. An credendum cum doctissimo *Bianchi* quod Bilis defectus causa Hydropis sit, aut ejusdem saltem effectus? Ita nempe egregius vir scribit Hist. Hep. pag. 147. „Pallida igitur „ occurrit *ordinario* ad Cystin suam Bi„ lis in Delicatulis, in Chlorosi, pal„ lidior in Cachexia, fluxibusque Cæ„ liacis, *pallidissima*, & *fere absque* „ *ulla flavedinis tinctura*, *ac tantum non* „ *aquea*, *in Hydrope*, aliisque morbis „ diuturnis, in quibus sensim deperierit „ emicatio in sanguine: in hisce *inter*„ *dum* affectionibus albescens observa„ tur, & candida; ut vidit *Diemer*„ *broeck*." Quantum ad bilem insipidam.

dam. „ In Cachecticis, ait p. 170. „ præcipue mulieribus, aliisque lente „ ægrotantibus, delinquentem hoc ri- „ tu bilem *ordinario* videmus.

Antequam respondeam, examinandus est qui ex *Diemerbroeckio* hic laudatur textus. Est ex ejus Anatome, ubi de bile agit. Invenit bilem Vesicæ post diuturnum Hydropem candidam, & utcumque viscidam. Hucusque res convenit cum observatis Cl. *Bianchi:* sequitur vero aliquid quod non convenit; nam ex Ductu Choledocho, & ex Poro Biliario, Bilem flavam versus intestinum fluentem vidit.

Ergo 1° *Diemerbroeckii* experimentum in Hydropico factum id quidem confirmat, quod de Cystica bile *Bianchi* refert, non vero demonstrat idem, quoad Hepaticam bilem: Bilis vere flava Hepate secreta, ad intestina fluxit. Potuisset hic homo ictericus fieri, sine

ulla vel minima flavæ bilis guttula in Veſicula.

2^do Hoc ipſo experimento intelligitur hominem & ictericotatum poſſe fieri, & ſimul flava reddere alvi excrementa. Si enim ponamus hominem ſanum quacumque cauſa obſtructione in ductu cyſtico nata reddi ictericum, bilis flava ex poro hepatico ad duodenum fluens tingere excrementa debet.

3^tio Hoc eodem experimento concludimus in ictero, dum albæ fæces ſunt, vel nullam bilem ſecerni hepate, & veſicula, vel obſtructionem eſſe in Ductu communi, aut ad Duodenum.

4^to Itidem inde apparet Hepaticam bilem in Cyſtim non influere, ut communiter creditur, ſed totam in Duodenum abire. Neque ſuſpicio hic haberi poteſt anguſtioris forte cyſtici ductus; cum Autor dicat miratum ſe illius amplitudinem fuiſſe. Unde recte judicat Cyſti-

Cysticam bilem peculiari fabrica tunicæ internæ Vesiculæ generari, stagnatione perfici; defectu tamen ejus flavam bilem Intestina subire, excrementaque tingere posse. Certe si pulcerrima *Liberkubniana* Præparata, Microscopiis inserta, quæ Ill. *Baro van Swieten* Academiæ nostræ dono dedit, attente contemplemur, convincimur mirabilem hujus tunicæ structuram magnis usibus necessario destinatam esse. Unde cum eodem Ill. Viro, *Cap. de Hepat.* fatemur, quod „ artificio summo, & penitus peculiari reptatu, arteriæ numerosissimæ decurrunt, per membranas vesicæ felleæ, uti injectiones anatomicæ docuerunt; unde admodum verosimile videtur peculiarem adeo vasorum apparatum servire hic singularis liquidi præparationi & secretioni.

Hæc nunc de *Diemerbroeckii* teſtimonio in quantum firmet, & non firmet Cl. *Bianchi* ſententiam.

Probatur etiam *Ruiſchii* obſervatione, n°. 87. invenientis in cadavere Hydropici Hepar induratum, veſicam felleam ſextuplo majorem naturali, ſed aquoſa plenam, inſipidaque Lympha; in ductu vero Choledocho calculum ciceris majoris magnitudine, omnino obturantem hunc meatum.

Convenit etiam *Bianchi* ſententia cum nonnullis meis obſervatis.

Anno 1744. Junii 30. cum doctiſſimo *Velſe* bimeſtris infantis cadaver luſtrans, veſiculam felleam inveni turgidam valde, ſed humore plane aquoſo plenam, guſtu amaritiem vix ullam referente. Poſt hydropem pectoris, acidum terribile, copioſamque pituitam vitream, perierat infans.

21.

21. Dec. 1758. idem in Nosocomio publice demonstravi in cadavere Hydropici, cujus Hepar granulosum totum. Ter ego, pluresque adstantium, aquosum vesiculæ liquorem gustantes, ne minimum quidem percepimus amarorem. Nec pellucidus insipidusque modo liquor, sed gelati instar tremulus fuit, & cohærens. Portio ejus igni in Cochleari expositа nihil coagulabatur, sed avolabat in auras, tenui pellicula relicta: portio alia syrupum violarum viridem fecit.

Igitur plures casus dantur quæ idem, quod *Bianchi* voluit, posuitque, confirment; at vero sæpe contrarium obtinet. Dedita opera rem examinans bilem flavam, amaram, pluries in Hydropicorum cadaveribus inveni, demonstravi. In Tympanitico pueri, cujus morbum à defectu bilis pag. 64. deduxi, demonstravi tamen bilem vesicæ flavam,

amaram, postea recreviſſe ipſo cachectico ejus ſtatu. Et in *Diemerbroeckii* enarrato caſu, licet cyſtica bilis pallida eſſet, aderat tamen hepatica flava. Equidem Anonymus autor in *Act. Edimb. Tom.* 1. *Diſſ.* 33. ſtatuit Hepaticam Bilem blandum humorem eſſe, qui parvam biliosarum particularum copiam modo haberet: ita quidem, ut dubitet num, a bile hepatica retropreſſa, tum profunda flavedo, tum penetrantiſſima amarities, tum quævis alia, quæ ſubito in Ictero adparent, ſymptomata, proficiſci queant? Attamen plus ſimplici vice bilem pori hepatici demonſtravi flavam admodum, guſtuque perquam amaram: licet cyſticæ flavedine, amaroreque, cedentem. Quis noverit an, bile cyſtica pallida, non frequentior contingat *Diemerbroeckii* obſervatio? Saltem meam ejus examinandæ negligentiam in poſterum emendabo.

CA-

CAPUT IV.
DE
COXARIO MORBO.

§. I. *Varia de Coxarum morbis. Cur nati hi externis de causis dubiam haud raro Diagnosin habent; imo cur eodem in morbo juste data Diagnosis, postmodum falsa reperitur. Insignis morbi varietas demonstratur exemplis.* §. II. *Nec certior sæpe, constantiorque, ejus Natura adparet, dum internis solis, vel mistis simul internis externisque de causis, proficiscitur.* §. III. *Notabilis casus juvenis fœminæ id demonstrans.* §. IV. *Examen quæstionis num Coxendice affecta, tumida, præsentem testata materiem, ampla apertura facienda sit; Negatur in genere, & in specie.* §. V. *Examen Doctrinæ* Hippocratis *de Coxarii morbi natura, eventu, cura; eaque occasione multorum ejus textuum expositio.* §. VI. *Curatio sequentibus Hippocraticum ævis celebrata, enarratur, discutitur.* §. VII. *Ratio cur Articulo Coxæ affecto multi non curentur; Imo cur plures inde pereant; Phthisis ischiadica.* §. VIII. *Laus Corticis peruviani cum Lactea diæta, desperatis aliquando in rebus vitam, sanitatemque, restituentis conservantis.*

§. I. Permultæ ſeſe obtulerunt in Noſocomio occaſiones Coxarum morbos cognoſcendi, quarum rationem jam dedi in ſingulis Tomis *Rat. Med.* Cum vero frequens admodum morbus ſit, novas Obſervationes addam, quibus latens ſæpe obſcuruſque morbus clariorem ſui Diagnoſin poſtmodum præbere, tutiuſque curari poſſit.

Multum ſæpe & acriter utrinque diſputari ſolet, quando femur poſt caſum laborat, ſitne os femoris luxatum tantummodo, an fractum? Et ſi fractum, utrum ad Epiphyſin, an in cervice? Vel an in Luxatione frangatur Ligamentum teres, an vero poſſit ſufficienter extendi, ut os aberrans ſequatur? &c. Non eſt hujus loci ea enarrare quæ *Petit*, *La Motte*, *Heyſter*, aliique, ad varios hos defectus internoſcendos pulcra ſcripſerint. Tractatum Chirurgicum non ſcribo, ſed caſus medico-chirurgos

rurgos in Nosocomio, & alibi, mihi observatos, duntaxat communico. Hinc dixisse sufficiat vario admodum modo hæc se habere: ita ut 1^mo. Cervix frangatur, ossis capite in acetabulo manente. 2^do. ut frangatur Epiphysis, & ab osse solvatur; maxime in junioribus: non tamen ita semper. 3.^tio ut os femoris integrum luxetur, fracto ligamento tereti. 4^to ut illud luxetur, hoc elongato, sed integro. 5^to ut ipsum caput ossis cum acetabulo morbose uniatur, & perfecta fiat, eaque immedicabilis, Anchylosis.

In puero decenni, robusto, luxationem introrsum, deorsum, factam, perfectissime restituimus; sed quo nobis curæ integritas patesceret, diuturno eum tempore in Nosocomio servavimus. Licet forte rariore casu ligamentum fractum uniri denuo, elongatis utrinque fibris ligamentosis, possit, probabilius tamen

est huic puero luxationem integro osse, integroque sed elongato, ligamento tereti, contigisse, cum debitus, ac constans articulo motus tam cito adfuerit.

Puer sex cum dimidio annorum sub ludibundo pedum exercitio dolorem percepit ad coxam dextram, cui brevi post tumor accessit. Trium aut forte quatuor mensium spatio hæc ita perseverarunt, absque eo, quod crus longis, breviusque, adparuerit. Deinde vero ad duos circiter digitos latos brevius redditum est. Vix septem mensibus ab origine morbi elapsis, diarrhæa, febre, convulsione, periit. In cadavere vidimus caput ossis femoris ad crepidinem superiorem acetabuli locatum. Ligamentum teres omnino desiderabatur. Tumida admodum glandula in cavo acetabuli, ut caput ossis femoris intra illud excipi ultra non posset. Mira igitur contorsio,

&

& inde nata inflammatio primum adfuisse videtur, cum subsequente degeneratione *Haversiani* smegmatis, cum erosione atque consumtione tum ligamenti teretis, tum ligamenti dicti ad teretem accessorii, ex cavo acetabulo enati. (vide *Schwencke* Obs. de Lig. c. os. fem. connectente interno, ad finem *Hist. Sang.*) Unde demum caput ossis femoris ex Cotula trudi ceptum, crus sensim brevius redditum, & integra, sed extensa adhuc Capsula, idem caput ossis ad superiorem cavi acetabulo marginem applicatum.

Similem historiam in Nosocomio vidimus puellæ 16. annorum, quæ quatuor annis dolorum in coxa prægressis, utroque cum crure æquali, tandem incœpit crus brevius habere, ita ut nunc ad tres digitos latos altero brevius sit.

Meritissimo ergo jure egregius *Petit*, postquam semel hinc deceptus fuisset, scri-

ſcripſit *part.* 1. *morb. oſſ. cap.* 12. integram luxationem natam ſe inveniſſe, ubi bimeſtri ante ſpatio ſigna evidentiſſima articuli duntaxat læſi, haud vero luxati, affuiſſent. Videtur eodem præciſe modo id *Petito* contigiſſe, quo nobis noſtris in caſibus viſum fuit.

Sed & aliud in Noſocomio obſervavimus. Puer duodecennis, a teneris claudicans, alio morbo mortuus, exhibuit nobis caput oſſis femoris ſuo cum acetabulo firmiſſime unitum; ita ut videatur a caſu, aliave violenta cauſa, ſemel nata contuſio, inflammatio, ſuppuratio, eroſiſſe tam caput oſſis, quam cavum acetabulum: unde demum effectum, ut ambo hæc in unum corpus penitiſſime coaluerint. Genus igitur peculiare claudicationis, ab Anchyloſi ortum, quale quid etiam *Petito*, ad finem mox laudati capitis, contigit. Simul aderat oſſis Iſchii verſus interiora dege-

degeneratio; multum enim ibi eminebat in loco acetabuli.

Concludimus ergo in affectionibus ossis femoris, & articuli coxæ, a causis externis ortis, Diagnosin sæpe plurimum difficultatis, incertitudinisque habere; tum & inconstantem eandem ideo esse, quod lasu temporis affectionum harum tota natura mutetur.

§. II. Verum non minorem ambiguitatem sæpe infert hujus Articuli affectio, quam vel causæ mere internæ, vel internæ cum externis combinatæ, produxerint. Mala nempe plurima hunc articulum occupant. Levior contusio, quæ forte sine accedentibus internis causis non nocuisset; Communis inflammatio; Diathesis arthritica, rheumatica, scorbutica, venerea; Metastases denique, morbos varios, teterrimosque, circa hunc locum frequenter generant. Multa exempla dedi *Rat. med.*

part.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0151
DFG

part. 1. *cap.* 7. *pag.* 129. *part.* 2. *cap.* 2. *pag.* 9. *& ibid. cap.* 8. *pag.* 131. *Et part.* 3. *toto capite* 5. Hiſce novam obſervationem adjungam, totum morbum dein dogmatice tractaturus.

§. III. Puella 14. annos nata, ſpatio 7. ſeptimanarum laborans febre intermittente, aut continua remittente (id enim ex ejus enarratione ambiguum manet) emetico tandem dato, febre liberatur; toto interea corpore intumeſcens, & pellucidis, ad ſupernos infernoſque artus, veſiculis plena. Quibus citra aperturam evanidis, manſit tumidiſſima. Diureticis tamen & purgantibus inde ita curabatur, ut domeſticos repetere quidem labores poſſet, ſed tamen cum difficultate, ac laſſitudine perpetua, utque teſtetur bona valetudine nunquam deinceps ſe uſam fuiſſe. Tranſegit ſic triennium. Poſtquam tumorem obſervare cœpit ad externum latus

tus femoris dextri, digiti circiter longitudine a crista ossis Ilei, versus os sacrum, & sesqui digiti longitudine exinde deorsum versus, supra Glutæum magnum. Dimissus sibi tumor sex integris mensibus, cataplasmate dein fotus, emollitur, sponte aperitur, funditque puris serique multum, trimestri spatio; tandem adsperso ignoto sibi pulvere coaluit: sic tamen, ut perpetuo doluerit locus, ipsaque postliminio in eundem incumbere non potuerit.

Catamenia ipsi, 17. annum ætatis agenti, observari cœpta, continuarunt quidem, sed & parce, & quovis alterno, tertiove mense, tantum.

Notandum porro est quod, ante tumorem primo perceptum, iratus Pater, magna vi, grave magnumque ligni frustum in illam, ab eo fugientem projecerit, femurque dextrum percusserit, contuderitque. Quod equidem

utrum

utrum immediate ante perceptum dolentis loci tumorem, an dudum antea, contigerit, haud bene meminit. Ita ut dubium superfit, fitne tumor ex relicta Cacochymia natus, an contusione? Alteram forte causam altera promovit.

Annos 19. nata, novum percepit antiquo loco dolorem, qui ignoto emplastro adposito ruptus, similem, ut olim, materiem dedit. Novembri mense 1758. ann. 20. attingens, tumorem deprehendit in medio postico femore sibi nasci, findi, purisque copiam magnam ad medium Decembrim usque effundere.

Anno 1759. Jan. 5. primum me convenit, exhibens ulcera duo; unum loco superiore antea descripto, alterum in medio postico femore. In hoc stylus ultra pollicis geometrici profunditatem fere perpendiculariter intrabat; in illud

illud, pollicis medii. Os utriusque anguſtiſſimum, ut vix ſtylum admitteret: decurſus totus fiſtuloſum in profundioribus ulcus teſtabatur. Vagæ febres aderant.

Diagnoſis incerta. Probabile erat Cacochymiam antiquam, contuſione externa ad femur determinatam, tumorem produxiſſe; vel ſi tumor dudum præextitiſſet, eum contuſione auctum fuiſſe. Quid autem proprie, quave ratione, læſum hic eſſet, ſigna non indicabant. Attamen cum omnibus ſuis ærumnis recta adhuc incedebat.

Ut Diagnoſis incerta, ita ambigua prognoſis. Ut enim Tomis hujus operis anterioribus demonſtratum eſt, dum ad profunda Coxæ, Femoriſque, ejusmodi dolores, ac tumores, dudum hæſerunt, interiora paſſim deſtructa ſunt, aut vehementer ſaltem læſa, antequam materies prorumpat foras. Ex quo id

contingere ibidem constitit, ut Arte postmodum aperturam faciente, aër accedat, & homo pereat. Attamen rem se non tam desperate habere semper imo consequi salutem posse, etiamsi interna jam pro parte erosa essent, felicia quædam exempla *Rat. Med. Part.* 3. *pag* 5. enarrata demonstraverant.

§. IV. Indicatio in hujusmodi calamitatibus parvam facere aperturam jubet: *aperturam* quidem, ut materies interiora pessumdans foras alliciatur, expurgarique locus possit; *parvam* vero, quia aër multum accedens, citiore corruptione accelerare mortem solet. Unde aperturæ hæ & raro, & caute deligandæ sunt; hic porro cum parvam aperturam Natura fecisset, de alia facienda, eademve dilatanda, cogitandum non erat.

An tamen latior apertura, arte facta, non præstitisset, præ fistulis hisce binis,

binis, quæ ſponte natæ tantillum modo de mali ſcaturigine auferrent?

Neutiquam. Primo repetita toties experientia nos, alioſque, nocumenta latioris aperturæ ſæpe docuerat. Secundo ſtyli ſenſim profundior, atque ad os demum fere penetrans ingreſſus, vetabat certe omnia hic percindere; Vaginam femoris, Glutæum maximum, Bicipitis Cruris caput longum, ſub eoque Nervum Iſchiadicum, tum Arteriam venamque inſignes, quæ ex magno trunco Arteriæ ac Venæ Cruralium mox anterius, in inguinibus, oriuntur, deinde ad poſteriora femoris penetrant; tandem & Semitendinoſum. Præterquam quod Vaſa inſignia ex Cruralibus ſeſe per Adductores magnos femorum penetrantes, ſupraque eoſdem decurrentes, hic lædi poſſent. Anno 1756. Vexillifer in Noſocomio, ſuppurato femore, & crure, indigebat ad medium

femur posticum apertura. Ramus autem adeo notabilis ibi decurrebat, ut sistendæ hæmorrhagiæ vix pares essemus. Metus igitur Hæmorrhagiæ, Convulsionis, Claudicationis, dilatare hic late profundeque, omnino vetuit.

§. V. Quid ergo in ejusmodi malis, ubi a causis sive internis, sive externis, coxa, viciniaque ejus, afficiuntur, agendum?

Lex Nosocomii nostri immutabilis est Medicinam Hippocraticam facere, *Hippocratem* in omnibus, maxime autem in difficilioribus, consulere, consultum sequi; nisi posteriora observata, quod tamen rarius, illum jam correxerint, & emendarint. Erat igitur denuo specimen juventuti Medicæ dandum, quo caperet, qua lege *Hippocratis* mentem investigare, vestigia premere, deberent.

Occurebat 1°. Aphorismus 31. sect. 4. Τοῖσιν κοπώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν „ Las-

„ Lassatis per febres abscessus maxime „ fiunt ad articulos & circa maxillas. „ Quotidiana quippe observata docent his, qui a morbo febrili, aut acuto, haud ritejudicantur, lassitudines manere, sensumque gravitatis; a materia, quæ vel admodum morbosa, vel saltem a sanitate aliena in corpore oberrat, cum reliquis circumfertur humoribus, & per multa vasa minima penetrare se nequit. Hæc ipsa materies, quanvis nonnunquam febres, sive inflammatorias, sive hecticas, letalesque, producat, sæpe tamen ad Parotidas, Coxasve, aut ad alias partes, metastatice defertur. Incertum porro, quandiu hæc sit oberratura in corpore materies, antequam ad loca certa deponat sese. Incertum etiam an non eos affectura sit locos, qui affecti, vel partium quæ afficiuntur, vel totius corporis, inferant perniciem. Posse nonnunquam diu humo-

ribus mistam manere, cumque iisdem circumduci, & experientia pluries in Nosocomio docuit, & peculiariter de Metastasi ad Coxam observasse *Celsus* videtur *Lib.* 4. *Cap.* 22. *de Coxarum Morbis:* „ Eoque id genus, inquit, „ difficillime curatur, quod fere post „ longos morbos vi pestifera huc se in- „ clinat: quod ut alias partes liberat, „ sic hanc ipsam quoque affectam pre- „ hendit.

Attamen in hac incertitudine *Hippocrates* indefatigata sua observandi industria eo pervenerat, ut præsciret an non brevi tempore oberrans hæc materia ad certo determinatam partem adpelleret? Aph. 32. Sect 4. „ Quibus ex morbo „ resurgentibus aliquid dolet, ibi ab- „ scessus fiunt. Materies quippe ad certam corporis regionem deferri cœpta, quæque per minima ibidem vasa se penetret inepta, extendit eadem, nervos sub-

subjectos, interpositosque premit; hinc tunc perceptio doloris. Porro dolor ille, descripto rerum in statu, innuit hujus impulsionis primordia poni, adeoque futurum monet ibidem abscessum.

Imo in his lassitudinibus post febres relictis, locum ipsum prædefinire, etiam ante natos dolores, audebat *Hippocrates*, Aphor. 33. sect. 4. „ Sed etiam si quid „ doluerit ante morbum, ibi se figit „ morbus „ Etenim si homini pars quæpiam ante morbum doluerat, bona Crisi ea quoque sanescebat: Crisi vero imperfecta prægressa, timendum nunc erat, ne hæterogenea materies, lassitudines post febres efficiens, eum peteret locum, qui ex antiquiore dolore jam obstructus, hincque debilitatus, crassiori morbosæ materiæ transitum necessario denegaret.

Sic. *Epid.* 7. *Sect.* 7. *apud. Foës. pag.* 1139. morbos circa brumam ortos describens, Tusses nimirum, Peripneu-

moniam, Anginas variæ ſpeciei, & Paraplexias „ Anginæ autem, inquit, „ Paraplectica mala, aut dura & ſicca „ erant, aut parva, & raro maturum „ educentia. Nonnullis vero etiam multum educebatur. Qui ergo plus voce mala habebant, aut rigore corripiebantur, iis tuſſes in Anginas potiſſimum deſinebant. Qui vero manu ægre habebant, manibus tantum reſoluti fuerunt. Qui autem equitarunt, aut plurimum viæ confecerunt, „ ἢ ἄλλοτι τοῖσι σκέλεσι ταλαιπωρήσαντες, τετέοισιν ἐς ὀσφῦν, ἢ σκέλεα, ἀκρασίαι παραπληγικαὶ, aut alioqui cruribus male habuerunt, iis Lumborum, aut Crurum impotentiæ ex reſolutione obortæ ſunt, & ad femora tibiasque laſſitudo ac dolor.

Epid. 4. pag. 1132. „ *Apemanti* ſororis filius tumida præcordia, & Lienem habuit. Crebra ſpiratio erat, alvi ege-

„ ſtio

„ ſtio glutinoſa, & bilioſa, quibusdam
„ excrementis permiſtis. Κοπιώδης ἐξ
„ ἔργων, cum ex opere defatigatus eſſet,
„ 20. die abſceſſus in pedes decubuit, id-
„ que ex judicatione, qua delaſſatis ejuſ-
„ modi, non ad oculum verbi gratia,
„ ſed ad articulos, abſceſſus decumbat.

Idem obſervaverat in aliûs generis metaſtaſibus, v. g. iis, quæ, poſt immanem tuſſim ceſſantem, partes paralyticas redderent, Epid. 4. pag. 1138. „ In tuſ-
„ ſientibus iis quidem, qui manibus labo-
„ rabant (male habebant) velut *puero*,
„ qui ſarmenta contorquebat, & *Amyn-*
„ *thæ* filio, ubi utriſque ſolius dextra
„ reſolutio contigiſſet, ceſſabat tuſſis:
„ poſtquam enim tuſſiverant, hac af-
„ fecti ſunt. Qui vero aut equitarunt,
„ aut pedibus iter fecerunt, in Lum-
„ bis & Femoribus eam ſenſerunt.

Itaque, ſecundum *Hippocratem*, Juvenculæ noſtræ ideo ad Coxam materies

decubuit, quod suo in famulatu pedibus, una cum toto corpore delassatis, multum uteretur; quodque etiam contusio ad eundem locum contigisset. Atque hæc de Hippocratica Diagnosi ac Prognosi: examinanda jam ejus curatio est.

Epid. 4. pag. 1127. „ *Moscho* nono „ die largus ex nare sinistra, paucus „ autem ex dextra, sanguis effluxit. In „ 14. diem, prout debebat, judicatio „ ab initio commovebatur. 17. die errata in ciborium ratione contingebant. „ 19. noctu enatum est ad aurem dextrum tuberculum parvum, intus durum, foris paulum mole, dolorem inferens, nec remittens. Purgatione rejecta sunt admodum bilioſa, purulenta, sepiæ atramentò maxime similia. Neque secus, ac is, cui admota „ cucurbitula, cum dolor ad Coxendicem esset, in crus descendit, allevatus est.

Nimi-

Nimirum *Moschus* acuto morbo communi laborabat, quem dies 14. pro parte judicaturus videbatur, atque dies 17. integre forte judicasset, nisi Diætæ errores hanc Naturæ intentionem & conatum interturbassent. Hinc die 19. forte finiente, aut 20. inchoante, Metastasis pone aurem contingebat; haud tamen cum totius morbosæ massæ eo versus determinatione, siquidem constet ejusdemmet portionem intestina petivisse. Attamen *Hippocrates* curam hujus Metastaseos eodem modo perfecit, quo ejus, qui metastasin patiebatur ad Coxam; nempe Cucurbitulis.

Et pag. 1128. „ *Qui ex figulino equo* „ *decidit*, cui nec ilico admota est cu„ curbita, ἐκάυθη ἔσω, intus ustus „ est, ac die 20. malum recruduit: „ sanguinis profluvia, feculenta, & „ erodentia, prodierunt.

Epid.

Epid. 5. pag. 1143. „ In Oeniadis *Eupolemus* Coxendicis & Inguinis dolore conflictabatur, ut & in toto loco propinquo Coxæ junctura, ab inguine, & anteriore coxendicis parte. Huic sanguis ex malleolo detractus est, admodum multis, nigerque idem, & crassus: epoto autem medicamento alvum deorsum purgante, multum purgatus est, & melius quidem ei aliqua ex parte fuit. Dolores vero non cessabant, sed tum Coxendicem, tum illius juncturam, tum Cochonam „ (Cochone est illa pars tota superioris femoris anterior, posteriorque, quæ est a crista Ilei & Pube, usque ad extremum Tuber ossis Ischii, cui insidemus. Vid. *Goræum in Def. & Foes. in Oecon.*) tum etiam inguinis loca, „ suppuratio occupabat, ibique dolor „ erat intensior. Pus autem *os*, potius „ quam *carnem*, pervadebat, & aliquan

„ sic

„ diu sic se habere ignorabatur, donec
„ admodum debilis extiterit.
„ Tandem Crustis valde multis, iis-
„ que magnis ac densis, inustus est,
„ pusque multum & crassum effluxit,
„ ac paucis post diebus interiit; tum
„ ex ulcerum magnitudine & multitu-
„ dine, tum ex corporis debilitate.
„ Hic videbatur sanari potuisse, si uni-
„ ca ampla sectione sectus fuisset, & si
„ per eam sectionem pus effluxisset: aut
„ si altera sectione opus fuisset, amplam
„ eam facere: & hæc omnia ἐν τῇ ὥρῃ, ido-
„ neo suo tempore, instituere oportuisset.
„ *Lyconi* in Oeniadis in reliquis qui-
„ dem eadem contigere, dolores tamen
„ ad crus non admodum pervadebant,
„ neque purulentus extitit, verum sa-
„ nus longo intervalo. Medicamenta
„ autem ebibebat (φάρμακα, medica-
„ menta purgantia) & cucurbitulas ad-

„ move-

„ movebat, ſanguis mittebatur, atque
„ interea melius habere videbatur.
„ Lariſſæ *Scamander* Coxendicem
„ ſyderatam habuit, ἰσχίον ἐσφακελισε,
„ coxendicem ſphacelatum habuit, & os
„ diu diſparatum. Hic poſt magnam
„ ſectionem, etiam uſque ad os ipſum
„ factam, denique inuſtus eſt, ac tum
„ 12^mo. poſt ſectionem die convulſio
„ cœpit, ac magis detinuit. Convulſio-
„ ne autem tentabatur crus ipſum ad
„ latera uſque, quæ ad alteram etiam
„ partem perveniebat. Crus autem con-
„ trahebatur & extendebatur, cætera-
„ que membra movebat, & maxillæ ri-
„ guerunt. Hic octavo poſt convulſio-
„ nis inſultum die convulſione periit.
„ Utriculis vero concalefactis, ex oro-
„ bis, ervis, ad curationem totum cor-
„ pus fovebatur, & ab enemate pau-
„ cum ſtercus tandem prodiit. Medica-
„ mentum ſinceram bilem affatim de-

„ tur

„ turbans, φαρμακον κατακορὲς, bibit,
„ & repetivit. Ac ſeceſſit quidem al-
„ vus, nihil autem opis inde tulit. Som-
„ nus parvus venit. Rurſusque epoto
„ ſub veſperam valido medicamento,
„ ſinceram bilem affatim deturbante,
„ ſub ortum ſolis mortuus eſt. Ἐδόκει
„ δέ ἂν πλείονα χρόνον διενεγκεῖν, εἰ μὴ
„ κατὰ τὸ φαρμάκε τὴν ἰσχύν. Videbatur
„ autem longiore tempore morbum la-
„ turus fuiſſe, niſi propter violentiam
„ remedii periiſſet.

§. VI. Ex his cunctis liquet ſummam horum malorum curam Priſcis in eo poſitam fuiſſe, ut internis externisque auxiliis materiem a coxa revellerent. Ac primo quidem ſectio & uſtio frequenter adhibebantur, ſpemque curæ ipſis ſemper magnam videntur feciſſe. Ita ut quemadmodum pag 156. animadvertebamus, mortem *Eupolemi* adſcripſerit *Hippocrates* debitæ, ac tempeſtivæ, ſimul-

que

que profundæ sectioni, neglectæ. Itidem legimus pag. 1151. Edit. *Foës.* *Hippocratem Cyrenii*, & *Hecasonis* mortem, tardius factæ inustioni adscripsisse. Imo utrumque hoc extremum remedium simul adhibitum fuisse docuit *Scamandri* mox data historia. Sectionem unam, latam, amplam, quandoque pluribus parvis prætulisse magnum virum, casus *Eupolemi* manifestat. Sed simul partibus jam sphacelatis hanc methodum non profuisse, nimia jam facta internorum destructione, antequam malum foras se verteret, *Scamandri*, aliorumque exempla, luculenter demonstrant.

Sectiones itidem hæ, atque inustiones, leguntur quidem ad os usque factæ, at in sphacelo tantum, ubi vel nihil, vel profundissime secandum esset, & ubi mors cæteroqui certissima instaret. Cæterum amplæ ac late, haud vero nimis profundæ, instituebantur, & a subsequentium

tium sæculorum Medicis institutæ leguntur.

Hinc *Celsus Lib. 4. cap. 22.* inustionem duntaxat superficiariam commendare videtur: „ Ultimum est, inquit, „ (& in uteri morbis quoque efficacissimum) tribus aut quatuor locis su„ per Coxam Cutem candentibus fer„ ramentis exulcerare.

Equidem legitur *Hippocrates Lib. de int. aff. cap. 53.* apud *Chart. tom 7. pag. 677.* jubere Ischiadicis „ πολλὰς ἐσχα„ ρας, καὶ βαθείας καῦσαι, escharas & „ multas, & profundas, inurere; „ sed ideo profunditatem ad os usque intelligere non videtur. In obesis certe potest profunda ustio esse, quæ tamen adipem vix omnem penetret. Imo os ipsum vitari oportere laudato mox loco innuit *Hippocrates*, jubens „ Escharas multas „ profundasque inurere in osseis quidem „ partibus fungis, μύκησι; in carnosis

„ vero, ferramentis. „ Et alio hujus „ libri loco jubet inuri modo Lino cru- „ do.

Prosper Alpinus Libr. 3. *de Med. Aegyp. cap.* 12. innumeras Ægyptiorum curas, cauterio plurimis in morbis peractas, enarrans „ Hinc mirum, inquit, „ non est, si prospere hoc remedium in „ omnibus articulorum doloribus, cura- „ tu difficilioribus, experiuntur; potis- „ simumque in Coxendico dolore mul- „ tas ustiones, non modo supra articu- „ lum, sed etiam supra femur, facien- „ tes. „ Gens porro illa, ut idem refert, inustiones facit Gossypio, linteo involuto, filis cericis compresso, in conum formato, perpendiculariter perforato, cujus coni perforati basin loco inurendo apponunt, interea dum incendant apicem. Unde etiam superficiaria videtur eorum ustio esse. *Paræus Lib.* 18. *cap.* 28. ad digiti (lati procul dubio) profun-

funditatem locum hunc inuri jubet, idque tribus, quatuorve, diverſis per ambitum articulo plagis; cavendo, inquit, ne Nervi lædantur. Cæterum raros invenimus, qui ad os uſque inuri locum jubeant, *Tulpium Lib.* 3. *cap.* 26. *Deckers Exerc. pract. pag.* 34. aliosque paucos, ſi exceperis.

Referenda huc famoſa *Moxa*, ſive *Artemiſiæ Lanugo*, quam Indii parent. Agit nempe, quo priora, modo. Vim enim Artemiſiæ peculiarem hic non agnoſcimus. *Olaus Borrichius* dudum adverterat majorum virium in Iſchiade curanda hanc cum Artemiſia factam inuſtionem non eſſe, ipſis veſicantibus. Et ſi, quæ pro & contra ſcriptitata fuerint ſuperiore ſæculo, apud *Bonetum Med. Sep. Tom.* 2. *Lib.* 6. *Sect.* 5. *cap. de Arthrit.* attente pervolvimus, abunde convincimur hoc auxilium, adeo olim decantatum, tam caro pretio ſolutum,

præ reliquis inuſtionibus nihil ſingulare habere.

2^do *Cucurbitas Hippocrates* hic impenſe laudat; laudarunt omnes poſt illum Autores. Iterata harum actione Revulſio neceſſe eſt ab interioribus verſus exteriora fiat. Continuo enim magnam in molem elata integumenta, humores huc undique alliciunt: ſpeſque ſic fit, fore ut hac lege & moveatur, & attrahatur, quæ profunda in ſede locabatur, morbi materies. Idque revera fieri, innumera teſtantur exempla.

Ad Inuſtiones & Cucurbitas, merito referimus lata *Veſicantia* noſtra. Clariſſimus *Boerhaave* ajebat ſæpius nobis, ſi vellet arcanum quoddam vendere, id fore tectas, & ſub alia ſpecie occultatas Cantharidas, in Iſchiadicis. Hoc remedium Emplaſtri forma, palma manus majus, adplicabat Coxæ, & dein, poſt ingentem veſicam contractam auferebat, vul-

vulnusque percurabat: dolore non abeunte, repetebat idem octiduo post; idque aliquoties ac tertiam, quartamve, vicem: quanvis raro id sibi contigisse testaretur, ut quarto Emplastro indigeret. Innumeri sunt, quos in Nosocomio hac Methodo ab annosioribus hisce ærumnis percuraverimus. Hæc autem cura vix obtinet ubi locus sponte exulceratur; ut in casu Juvenculæ nostræ; quanvis etiam in ambitu ulcerum semel iterumque explorata fuerit.

Tertio laudavit hic *Hipp. Venæ Sectiones.* Nec datur fere autor, qui eandem haud commendaverit revellendi animo, si indicatio utcumque vel juberet, vel permitteret. In initio tamen proficua magis futura, quam progresso malo, videtur.

Quarto, *Purgantia* & *Clysmata* adhibuit, postque ipsum omnes. Præter Revulsionis intentionem generalem, ve-

teres videbantur quid peculiare ab his remediis expectare; saltem ab enematibus. *Dioscorides* clysmata hic adplicabat ex acerrimis omnium purgantibus. An Anatome hanc Veterum experientiam forsan confirmat? Arteria Natium *Winslowo* dicta, producit Hæmorrhoidalem internam, aliam omnino ab iis arteriis, quas vulgo Hæmorrhoidales internas appellare consuevimus; simulque dat ramum ad Articulum femoris; imo dat Ramulos qui interiorem substantiam perreptant Nervi Ischiadici. Præterea Ramus primus Arteriæ pudendæ internæ dat Ramos Hæmorrhoidales internos, & Ramum anterius posteriusque decurrentem supra cervicem ossis femoris. Atque hæc de communibus Arteriis; si autem Nervos contemplemur, a Nervo Ischiadico, pelvi egresso, Ramus proficiscitur, qui Anum petat.

Quin-

Quinto, *Chliasmata*, sive *Fomenta tepida*, egregii usus deprehendere, cum *Hippocrate*, Medici omnes; maxime si cum farinosis in Cataplasma redigerentur. Conabantur hinc omnia laxare, & per laxatos poros acres adigere stimulos. *Dioscorides* in Ischiadicis miscuit Cataplasmati Radicem scammonii, ipsamque Colocynthidem. Nullus fere Autor est, qui peculiare quoddam acre hic non commendaverit. Videte *Prosp. Alp. Med. Meth. Lib.* 9. *cap.* 5. *Foresti. Lib.* 29. *Obs.* 22. *in scholio.* Ischiadis subita admodum curatio describitur a *Boneto Med. sept. Tom.* 2. *pag.* 575. partem affectam primo probe fricatam, igni dein expositam, fovendo hoc Linimento. ℞. Sapon. ven. rasi unc. 1. Aq. Reg. Hung. q. s. Deinde fricando unguento, quod ex ung. Alth. Thereb. & Ol. Lumbr. pararetur. Egregium Belli Ducem *Hagæ Batavorum* iteratis

vesicantibus frustra fere vexaveram. Semicuratus iter suscipere debuit. Loco, quo perrexerat, quietus, ferendo dolori non erat. Matrona consulit totum quantum femur involveret emplastro quod ex pulvere Mastiches cum spiritus vini s. q. pararetur. Adplicuit, dolore immunis Hagam rediit, rem mihi patefecit totam. Desperatis pluribus hoc consilio profui. *Calx viva cum melle*, vel cum unguentis quibusdam mista, plures egregias curas mihi edidit.

Sexto, *Frictiones tum siccæ, tum humidæ*, rebus penetrantissimis institutæ, pertinaciter continuatæ, sæpius utilissimæ inventæ sunt; ut jam exemplis ad n° 5. patuit.

Septimo *Thermas* commendant, laudantque plures. His curari multos, multos minime, compertum est. Plures vidi qui Aquisgranensibus, qui Badensibus, &c.

&c. usi, vel nihil lucrati essent, vel in pejus versi. Laudat tamen *Schultetus* proprio exemplo suo virtutes Balnei *Thalfengensis*, vulgo *Gesundbrun*, in Agro *Ulmensi*: cujus usu Ischiadico dolore, aliis quidem remediis olim cedente, sed tamen iterum redeunte, jam a novennio carebat. *Embroche* in desperatis semper tentanda est, licet habeamus, quibus non profuerit; prodest tamen aliquando.

Octavo *Fonticulos* & Veterum multi, & usus hodiernus, sæpe salutares invenere. Irritatio est perpetua, perpetuusque revellens effluxus.

§. VII. Veruntamen in cunctis hisce tum Veterum, tum Modernorum methodis adhibendis, Prognosis fere semper incerta est: cum natura mali nos prorsum lateat; nec nisi ex effectibus, &, ut ajunt, a posteriore, nobis sæpe manifestetur. Considerentur

varii tantummodo, qui afficiuntur, loci! Prava materies hæret fortaſſis in cute modo, vel in Panniculo adipoſo, vel in Faſcia lata, vel in involucris Muſculorum ſuperiorum, inferiorumve, vel in involucris Iſchiadici Nervi vel in Perioſteo ſuperioris partis oſſis femoris, vel in Perioſteo oſſis Iſchii, vel in oſſea parte Acetabuli, vel in Capſa ligamentoſa Articuli, vel in Cartilaginibus ſeu Os, ſeu Cavum acetabuli, incruſtantibus, vel in Glandula magna, vel in Ligamento tereti, ejusve ſive alterutra, ſive utraque origine, vel denique in pluribus harum partium ſimul. Deinde ad loca tam varia etiam multiplex adpellit materia. Eſt enim ſerum acre Podagricum, Rheumaticum, Scorbuticum, Venereum; ſi locus primario afficiatur: vel eſt ichor, ſanies, pus, acrimonia jam expoſita, metaſtatice huc aliunde delata: vel eſt materies genita

ex

ex prægressa loci hujus communi inflammatione. Quæcumque jam materies fit, si non corrumpatur, si eliciatur extrorsum, si nova non succedat, si nihil intus destruxerit, integram potest admittere curam. Si vero expulsam priorem nova subsequatur, recidivas facit, curasque inconstantes. Sed enim vero si corrumpatur, diuque ibidem hæreat, cunctas hic partes pessumdet necesse est. Ita vidimus in Nosocomio nunc ipsos Musculos, Nervosque, putredine liquatos; nunc Os femoris carioſum; nunc laceram articularem Capsulam; alio tempore Acetabulum carioſum fractum; alia vice caput ossis totum, eroso ligamento, extra Acetabulum; iterum Acetabulum destructum totum, ita ut vel illud solum, vel & Os Ischii, & Os Sacrum, & Vertebræ Lumborum, carie consumerentur; nunc iterum perfectam

fectam Offis femoris cum acetabulo Anchyloſin &c.

His ergo omnibus, quæ ad variam morbi ſedem, variamque materiæ Naturam ſpectant, conſideratis, minus mirabimur tam curas inconſtantes, quam caſus deſperatos. Erimuſque in Prognoſi cautiores cum morbus toties fallat nos; quid dicam! cum ipſum τὸ παν̀ fefellerit *Hippocratem.* Juvat textum adducere ex Epid. 5. pag. 1151. „ *He-*
„ *caſoni* in Omilo, ex Corporis impu-
„ ritate, & prava (ſeu intempeſtive
„ data) purgatione, gravis in Coxen-
„ dicem dolor incubuit. Quo qui-
„ dem demittente, febribus correptus
„ eſt, diuque Lectulo decumbens, ne-
„ que bibebat quidem, neque ſitiebat.
„ Debilis quidem erat, & crebro in-
„ horruit. Huic probe quidem, ut
„ conveniebat, morbus ſublatus eſt;
„ corpus autem ex oblatis opem per-
„ cipie-

„ cipiebat. " Igitur videbatur labo-
raſſe *Hecaſon* Phthiſi vere coxaria, He-
cticas febres, cum frequenti horrore,
& magna debilitate, inducente. Morbo
liberari viſus eſt, vireſque deperditas
belle recuperare, ut jam ſaneſcere vi-
deretur. Sed an ſanus factus eſt? „ Tan-
„ dem, ait, morbus per inferiora eru-
„ pit, ac totus cum multa bile ſeceſ-
„ ſit, & mente motus, interiit. " Er-
go morbus lucido quodam intervallo la-
tuerat, & veluti curatus habebatur;
& quidem ita, ut *Hippocrates* ſubjungat,
„ ἐδόκεε δὲ ἀὺ ἐκφυχεῖ τὸ νόσημα, *He-*
„ *caſon* videbatur morbo emergere, e
„ morbo evadere. " Sed interea tan-
dem morbus per inferiora ſeceſſit, oc-
ciditque *Hecaſonem.* Id quod Phthiſi-
cis ſolenne eſt, ut Diarrhœa colliquan-
te pereant. Hujus *Phthiſeos Iſchiadicæ*
exempla plura præcedentibus Tomis
Rad. Med. dedi, morte paſſim termina-
tæ.

tæ. Diarrhœa hæc colliquans latenter promota *Eupolemon* occiderat, pag. 156.

§. VIII. Haud omnium tamen in hac Phthisi ischiadica sortem æque desperatam esse, binis exemplis luculentis *Tom.* 3. *Rat. Med. cap.* 5. clare vidimus. Ipsissimaque juvencula, cujus casus totum hoc caput genuit, eadem, qua illæ binæ, methodo; lactea scilicet Diæta, cum largo corticis peruviani usu; huc usque bene se habet, ulcere Lympham modicam exsudante. Lymphæ autem hujus inde revellendæ causa, fonticulus incisus est. Hoc tempore torosa, robusta, duros suos labores indefatigata perficit, idque jam trimestri spatio. Cæterum sapones Herbæque saponaceæ atque antiscorbuticæ dictæ, si largissime sumantur, egregium usum habent, ubicumque spes resolutionis aliqua supereſt.

CA-

CAPUT V.

DE APOPLEXIA ET NERVORUM MORBIS.

§. I. *Variæ causæ remotæ Apoplexiæ unam modo eandemque causam proximam facientes, cadaveribus sectis demonstrantur; simulque practice disseritur circa Apoplexicam, sive desperatam, sive sanabilem, ex causarum expositarum contemplatione.* § II. *Examen causæ cur toties Apoplexia aut generet paralysin, aut ipsam sequatur; Ea occasione ostenditur Causam eandem proximam in decem v. g. hominibus, decem varios Cerebri, Nervorumque, gignere morbos. Ideoque quid iidem hi morbi cummune inter se, quid diversum habeant, & quinam demum ex illa diversitate effectus diversi producantur, examinatur.* §. III. *Reperitur tamen ab omnibus hisce Catalepsis maxime abludere; cujus miræ historiæ enarrantur, examinantur, magnamque partem inexplicabiles declarantur: qua occasione etiam aliquid de somnambulis.* §. IV. *Examen quæstionis, cur Cerebro uno in latere affecto, oppositum latus Paralysis prehendat; Assertio hæc justos intra terminos limitatur contrariis*

obser-

observationibus. De Lympha Cerebri non concrescibili.

§. I. Nonnullos morbos reperire est, qui sæpius licet visi, inspectisque demonstrati Cadaveribus, repetito tamen frequentius examine, Medicinam magis illustrent magisque: quos inter Apoplexiam eique affines morbos merito recensemus; de qua porro, ut quid digne proferamus, primo historias morborum varias, cadaverumque sectiones præmittemus.

Anni currentis 15. Aprilis, fœmina 102. annorum habita, in Nosocomio, *civico* extinguebatur. Cadaver petieram, Fati senilis prospectum Auditoribus daturus. Exp. Nosocomiii illius Physicus Dominus *Erndl* sequentem primo dabat Anamnesin: Autumno elapso febrim continuam passa erat, hyeme Diarrhœam. Aptis restituta medelis, viribus tamen sensim defecit; ut lectu-

lectulo perpetuo affixa, cardiacis semper fovenda esset. Brevi ante mortem, en inquit, morior; sumto autem cardiaco, gaudeo, ait, denuo me recolligo; simulque desiit vivere. En jam quæ dabat Anatome!

Musculi abdominales soli quidem tenuatissimi, cæteri vero musculi omnes, tendinesque, femorum, surarum, colli, dorsi, omnino carnosi, torosi, pinguedinosi, ut in ætate media. Egregia omnia viscera ventris. In Thorace itidem boni Pulmones; Cor, vasa majora, ut in homine sano 30. annorum se habebant. Haud igitur quod expectaveram, & demonstrare gestiveram, inveni: inveni autem, quod non cogitaveram. Intra Cranium empe, ubi cerebrum totum minime sic cum, sed maxime naturale erat, Cruor ater, spissus, effusus erat sub Pia Matre, ad lobum posteriorem sinistrum ita qui-

dem, ut cavum, pollicem capiens, in hoc lobo expleret.

Est Apoplexiæ species, solo spirituum defectu oriunda, quæ huic fœminæ jam pluries intentaverat mortis minas. Cum pauca tamen quantitate spirituum, ope Cardiacorum, tum replentium, tum excitantium, refecta, vitam protraxit. Iam vero effusus cruor subjecta pressit, Cranio enim semper exacte pleno, pressio grumosi sanguinis in lobo posteriore Cerebri removebat a se per ambitum lobi substantiam; ea remota substantia premebat vicina sibi, atque ita compressio progressa videtur ad ipsam usque Medullamoblongatam: quo demum factum, ut pauca illa spirituum copia, qua debilis hæc vita eousque sustentata, protractaque fuerat, interciperetur, eaque intercepta, Mors adesset. Uterum nunc sanguis sensim ibidem colligi cœperit, an effusus recenter fuerit, incertum: posse ta-

tamen subito ante mortem effundi, sequentibus demonstrabitur.

2. Die 19. Febr. ex eodem Nosocomio adferebatur mihi cadaver, senis, qui strenuus semper, helluo vini, eodem sese triduo ante mortem ita impleverat, ut in ipsa ebrietate Apoplexia ἰσχυρῇ tactus, bidui spatio extingueretur.

Dura Mater bona, tota vero Pia dicta Aneurysmatica, & Varicosa omnino fuit, idque non in superficie modo, sed inter omnes cerebri anfractus seu volvulos, & inter utrumque hemispærium, potissimum vero ad Tempora. Ventriculus anterior cerebri sinister grumosi sanguinis eam habebat copiam, ut commune cochleare expleret, dexter dimidium paulo fluidioris. Cerebelli Pia Mater, maxime sinistri, ut ea cerebri se habebat.

Alcoholis est, dum sanguine susceptum circumducitur, illum rarefacere.

Spatium igitur majus occupantes humores, vasa extendunt, dilatant, simulque eadem dilatata, quod vehementem stimulum circumferant, in validiorem adigunt actionem. Repetita multoties hac actione, debilitantur sic vasa, ut communi & tranquilla humorum circulatione languide tantum reagant, nec nisi stimulo repetito debite suos propellant humores. Sed demonstratum est repetita rarefactione humorum vasa debilitari. Ergo quo sæpius necessarius est stimulus, ut torpor vasorum excitetur, eo frequentius eadem rarefactio, vasa extendens, causam debilitatis adauget. Et hinc demum tristis illa necessitas vini, spirituumve, copiam sensim augendi, cum vasa de die in diem debiliora, a consuetis ultra non afficiantur. Hinc sensim homo ita flaccidus adparet, ut, qui DEI est imago, jam referat Bacchi simulacrum. Hinc igitur capimus cur

Ar-

Arteriæ Venæque Piæ Matris aneurysmaticæ ac varicosæ fiant: id quod videtur tolerari utcumque posse, absque eo quod vasa dehiscant, quia æquabiliter sustinentur; at in Ventriculis cerebri alia res est. Vasa innumera plexus Choroidei possunt pro momento sine resistentia esse, si plus Lymphæ ex iisdem resorbeatur, quam in illos influit. Vel si id non fit, saltem vasa in rore, vel liquore, perpetuo sita, debilitari, ac dilatari, prædictis internis de causis ita queunt, ut facile dehiscant: præterquam quod acrimonia in his corporibus nata, acrem ventriculis Lympham instillet, quæ eadem vasa corrodat, facileque dissolvat. Hinc demum effusio sanguinis. Hinc ventriculi sanguine turgidi totum cerebrum ac Medulam Oblongatam comprimunt. Hinc capimus unicam unciam sanguinis, intra cranium effusam, inter Apoplexiæ causas ab Autoribus jure referri.

3. Sartor 55. ann. 9. Aug. 1757. terrore, mœrore, gravique ira correptus, cubitum ſanus petit. 10. Aug. evigilans deprehendit ſe toto latere dextro tumidum, ac paralyticum; idque haud in crure, brachioque, ſolis, verum etiam in gena, & lingua; ita ut loquens non intelligeretur. Vena ipſi mox ſecta eſt, & quæ reliqua artis erant adhibita, tandem trigeſies Balneo Badenſi uſus eſt. Quibus omnibus id effectum, ut tumor partium demitteret quidem, & cruri quiſquam rediret motus; paralyſis vero eodem perſeveraret cæteris in partibus modo.

Prima vice illum vidi 9. Junii 1758. eumque ab illo die ad Machinam electream adhibere cœpi. Eſt idem ille, de quo Rat. Med. part. 3. cap. 6. n° 11. Menſe Januario 1759. in lecto jacens, expedite poterat brachium, digitoſque movere; extra lectum vero minus.

Ha-

Habent id plures Paralytici, dum incipiunt emendari. Sustentatis partibus obscurus qui redierit musculis motus, eosdem facilius movet, quam si pendente brachio musculi totum brachii pondus simul sustinere attollereque debeant. Junio mense vox distinctior, tantusque jam pedis motus, ut solus, sine scipione, magnam circumambulet aulam.

Nona autem Junii ad secundam pomeridianam Machinæ accedens, dixerat famulo Nosocomii quidem sibi bene non esse, nobis vero nihil, nisi ad 10. forte ictum. Ducebatur ilico in lectum, ut parum quiesceret, utque quid ipsi deesset examinarem. Illico magnam præcordiorum anxietatem conquerebatur, & intra dimidiæ horæ spatium mentis compos ultra non fuit. Frustra vena secta est; frustra injectum Enema, adhibitaque vesicantia. Deglutitio sub-

lata prohibuit usum medicamentorum. Intra quadrihorium expiravit.

In Cadavere Dura Mater a latere sinistro sinus Falciformis cum cranio concreverat, ibidemque crassa ac dura erat. In sinistro cerebri hemisphærio, potissimum ad latus, varicosissima eadem erat, in dextro autem parum tantum. Eademque in plaga, qua Dura Mater cum cranio cohærebat, etiam arcte coibat cum Arachnoidæa ac Pia membranis. Sub Arachnoidæa in posterioris lobi cerebri parte priore & læva, Lympha multa splendens, hinc inde subrubella, adparuit. Eadem Lympha coagulata, tremula, conspiciebatur in lobi hujus posteriore plaga, maxime inter medullæ volvulos, supra Piam Matrem. Cæterum, niger sanguis videbatur omnes medullæ gyros, volvulosve, per totum Encephalon sejungere; id quod adhuc adparebat profundioribus sectio-

sectionibus jam Medullæ bona parte ablata. Ventriculus sinister anterior, sive superior dictus, & amplissimus omnino erat, & tum copiosissima rubella aqua, tum grumoso sanguine plenus fuit; dexter vero ejus compar suam & amplitudinem, & lympham, naturalem habuit. Ventriculus quartus, amplus, copioso, ac coagulato sanguine, distentus erat, usque ad foramen magnum ossis occipitis.

In sinistro cerebri hemisphærio quæ enarrata vitia sunt, ad Paralysin dextri lateris explicandam sufficiunt. Vitia Ventriculi quarti ad Apoplexiam, eamque tam cito letalem, intelligendam sufficienter quoque facere videntur. Exposueram ad ægrum II. quo pacto in plexu choroidæo vasa rodi, rumpique possint, ac sanguinem suum intra ventriculos cerebri anteriores effundere. Eadem explicatio valet ad Ventriculum

quartum, cum & ſpeciem quandam plexus choroidei habeat. Cæterum ex hiſtoria morbi patet hanc effuſionem letalem ſubito contigiſſe: an forſitan nimium repleverit ventriculum in prægreſſo mox prandio? Hacque lege Aorta, tumente ventriculo compreſſa, impetum majorem in tenera plexus hujus vaſa excitaſſet?

4. Die Julii 6. 1759. anatomen puellæ feci, quæ jugi cephalæa laboraverat. *Jugi* dico; cum ex quo loqui potuit, eandem ſit perpetuo conqueſta. Præcipuam vero ejus ſedem ad poſtica oculi ſiniſtri potiſſimum indicaverat. Cætera hilaris, agilis, curſu, ſaltu, luſu, indeſinenter ſe exercens, nunquam tuſſire, aut anhelare, nunquam defatigari, a digno parente, Viennenſi Medico, obſervata eſt. Sex cum dimidio annos nata interiit. Octiduo ante mortem ſtupida nonnihil, & oblivioſa, non-

nonnunquam deprehendebatur, in reliquis tamen omnibus sana. Quatriduo ante mortem & ipsam prehendit apoplexia, & dextrum brachium convulsio. Ultimo vitæ biduo convulsio cessavit, Apoplexia autem sine notabili febre placidum vitæ finem fecit.

Dura Mater bona, Pia tota quanta varicosissima utroque in cerebri hemisphærio. In sinu longitudinali, ab ipso fronte, usque dum ille in sinus laterales abit, corpus album reperiebatur, instar oblongi vermis. Sinus idem binis in locis habebat membranaceam expansionem, ab uno ejus pariete in alium porrectam, tensam. Ad primam harum oblongum hoc corpus album duas in partes findebatur, quarum altera sub hac expansione, altera supra eandem pergebat: emensæ autem hæ binæ partes expansionis latitudinem, quatuor propemodum lineas habentem, denuo coi-

coibant: ita ut posthac Solitarius veluti vermis supra posteriorem expansionem, sine ulla divisione, transcurreret, sinusque laterales utrinque subiret. Ex Ventriculo superiore cerebri dextro uncias duas aquæ eduximus. Limpidissima hæc erat, inodora, igni imposita non coagulabilis, syrupi violarum colorem minime mutans. Aderat & aqua in fundo cerebri, ad usque foramen magnum ossis occipitis; sed eandem ibi in vita hæsisse affirmare non ausim. Forte enim, dum sectionem planam juxta lacunar sinus facientes, simul hunc sinum leviter læderemus, exsiliens inde Lympha undique deorsum, adeoque inter Duram Matrem cerebrumque, insinuare se potuit. Unde certe longe copiosior Lympha in ventriculo fuerit. Pulmo totus quantus accretus fuit Pleuræ, Pericardio, Diaphragmati; ipsique inter sese connati mutuo Lobi. Modus

dus autem hujus mutuæ concretionis non erat illi similis, qui in pectoris morbis, vel alias ad luctamina mortis, a crasso sero transsudante ortus, digitis commode solvi possit: neque similis etiam illi, qui celluloſa productione, haud omnino difficulter solvenda, sæpe observatur: sed erat omni in puncto Thoracis coalitio firmissima, solidissima, cultello tantum, magnaque cum patientia, demum solvenda; ita tamen ut nonnullis in locis pulmo facilius perscinderetur, ac laceraretur, quam a nexu sine læsione solveretur: nullibi autem id difficilius quam toto pectoris sinistro cavo.

Hæc ergo puella post perennem Cephalæam demum Apoplexia quatuor dierum moritur. Non morabor hic pessime affecti pectoris in casu quo, a longa die, ejusmodi causæ hic natæ erant, a quibus respiratio longe vitiosissima oriri debuisset; cum de simili casu ege-

egerim *Rat. Med. part.* 2. *cap.* 8. Adeoque ad Apoplexiam me modo converto. Oblongus veluti vermis sinus longitudinalis merus polypus fuit. Patebat id maxime, ubi crura ejus utrinque ex sinibus Occipitalibus extrahebantur: alba polypi materies incipiebat hic rubro sanguine tingi, & sanguineas fibras a sese dimittere. Confirmabat merum modo polypum esse ejusdem in aqua dissolutio, & interitus. Nam, quo post aliquot dies eum maturiori examini subjicerem, jusseram non in spiritu, ne contraheretur, sed in aqua, servari: quarto autem ex illinc die examinaturus, fere periisse dolebam. Porro de natura polyporum, in humano corpore genitorum, id esse, *Rat. Med. part.* 1. *pag.* 131. demonstravi, quod in spiritu subsisterent, in aqua vero evanescerent. An a pressione intra sinum genitus polypus, ut variis exemplis ostendi *Rat. Med. part.* 2. *cap.* 7.? Forte; sed

sed compressione sanguinis absente etiam polypos copiosos generari posthac 2. Octobris propediem elapsi in cadavere didici. Homo quinquagenarius anomala Arthritide a 13. annis in calcem ad articulos conversus, & diriſſimis paroxysmis fere consumtus; a triennio frequentibus paroxysmis Colicæ Pictonum excruciatus, pus grave, copiosum a quatuor mensibus in omni Urina deponens; lenta demum tabe in Nosocomio periit. In dilatatiſſimis Aorta, & Vena cava, in peramplis arteriis venisque Iliacis, arteria carotide, ac subclavia, in vena jugulari, tenuem chordam polyposam invenimus, cujus chordæ diameter in maxima arteria vix ultra lineam, in magna vena vix duas excederet lineas; quemadmodum etiam sinus falciformis exhibebat. Hic certe pressio nulla, sed vacuitas maxima ubique erat, cum polypo universo. Nec

in

in capite preſſio ſanguinis fuerat, cum ibi nihil fere ſanguinis in vaſis, Dura Matre in ſiniſtro latere excepta, cumque etiam Ventriculi anteriores cerebri ita vacui eſſent, licet magni, ut vix dragmam aquæ, ad ignem minime coagulabilis, educere potuerim.

Hinc vel a preſſione, vel a ſtagnatione Polypus huic de qua agimus puellæ, productus eſt. Cephalææ antiquæ cauſa venis forte tribuenda varicoſis eſt: qualia exempla ut cephalææ cauſas, Collectores cauſam nobis albi demonſtrant.

Intelligimus porro cur Apoplexia tam frequenter letalis ſit. Si compreſſio ab aqua, vel a ſanguine, producta, cauſam proximam produxerit, opus eſt, ſi Morbus curabitur, ut tum copioſum ſerum reſorbeatur, tum ſanguis effuſus fotu, ac veluti coctione, aptus reddatur, qui reſorberi poſſit. Sed ad talem reſorp-

sorptionem, coctionemque, certum quoddam tempus natura requirit. Si sufficiens circulatio per minus compressas partes interea temporis detur, si partes minus pressæ nimia humorum copia non obruantur, dum per compressiores transire vetantur, spes est ut homo vel sanescat integre, vel saltem necdum moriatur. Sin vero contrarium, ut pereat necesse est. Imo forte resorbetur materies, sed eroso de vase novus extillans liquor causam proximam redintegrat. Unde intelligitur cur nonnunquam per paroxysmos adoriatur, letalis demum Apoplexia.

Si his jungamus causas Apoplexiæ proximas, aliunde natas, v. g. a Plethora, a serosa Colluvie, a Contusione, &c. patet evidenter revellentem dictam Methodum a magno *Boerhaavio* commendatam, unicum fere id esse, quod in Apoplexia ejusmodi prodesse

possit: sed simul ex contemplatione causarum proximarum nihil perniciosius Emeticis, (quæ utinam *Sydenhami* autoritate minus fulcirentur!) in eadem dari posse, vel inde concludimus, quod vis humorum actione Emetici versus caput aucta, causam morbi proximam augeat, ac sæpe reddat insuperabilem.

Sed hæc methodus si integra adplicetur, bonam ægri deglutitionem supponit: quod in Apoplecticis sæpe fit; quo nempe ægri hæc Revellentia affatim hauriant. Cum vero dentur, quibus omnis omnino deglutiendi sit ablata facultas, ratio alia adparet cur sors hominis insuperabilis sit. Est malum hoc ratione causæ, & ratione effectus.

Tandem ea Apoplexiæ species, quæ oriunda ex defectu non quidem sanguinis, sed materiæ ultimo elaboratæ, unde subtilis ille liquor, spiritus dictus, parandus; tum & illa, quæ a frigido glutino-

so

so sanguine proficiscitur; longiore tempore egent, quam ut sufficienter suis in causis emendari possint. Unde hæ species hominem e medio tollunt, antequam vel restituti spiritus, vel iners pituita soluta, mobilisque reddita fuerit.

§. II. Cur Apoplexia toties Paralysin sive sequatur, sive generet? Resp. Paralyseos, Epilepsiæ, Apoplexiæ, Lethargi, Cataphoræ, Convulsionis, aliorumque Cerebri morborum, causæ reperiuntur eædem. Quod ita intellectum velim, ut licet frequenter inveniantur distincte variorum horum morborum causæ proximæ, sæpe tamen quoque confundantur: ita quidem ut serum abundans ventriculorum anteriorum cerebri, in uno Apoplexiam creaverit, in alio Epilepsiam, in tertio Paralysin. Obstructione, seu potius Symphysi vasorum, vehentium sanguinem ab Encephalo in Sinum longitudinalem reducem, tumque spissa

Lympha sub Pia Matre effusa, vidi in jureconsulto dirissimam ortam Epilepsiam chronicam, tandem acutam, letalem: quæ causæ tamen leguntur alibi inemendabilem induxisse Apoplexiam. Legite *Boerhaavii Caput de Apoplexia*, cum *Ill. Præsidis Comm.* Videte dein *Hildanum*, *Borellum*, *Tulpium*, *Schenckium*, *Bonetum*, *Mangetum*; quotiesne docti hi viri describunt eandem inventam in Cadaveribus causam, quæ hos diversissimos effectus produxerit?

Quod si ita se habet, consequitur id, ut concludamus eandem Causam, v. g. serosam ventriculorum cerebri colluviem, ipsa pressionis differentia, vi etiam compressionis in hanc, magis quam in illam Cerebri, cerebellive plagam determinatæ, tum & majore aut minore resistentia compressæ partis ad vim pressionis, magnam varietatem haberem in effectibus inde producendis.

2^do.

2^do. Comprehendimus quoque cauſam eandem ſuis in effectibus mutabilem reddi, omninoque variam; tum pro effuſi liquidi copia aucta vel imminuta, tum pro leviore aut graviore mutatione, ac labefactatione, partium compreſſarum, tum etiam varietate preſſionis, viam ſibi novam ad alias cerebri plagas molientis, tum denique variante hominis regimine & diæta. Quibus rite penſitatis non eſt ſane, cur valdopere miremur, quod a cauſa, quæ nobis eadem eſſe videtur, diverſos effectus; & quod a diverſiſſimis naturæ cauſis, eundem plane contemplemur effectum.

3^tio. Intelligimus utcumque quamnam ob cauſam omnes hi morbi, humoribus geniti, etiam queant defectu oriri humorum. Dum enim ita collabitur cerebrum, ut tranſeat nihil, eſt Apoplexia ab inopia humorum. Dum plagæ quædam collabuntur, his tamen vicinæ

nonnullæ ſat perviæ manent, ut excipiant, transmittantque, qui circulum continuet, humorem; minæ ad Apoplexiam, vel Paralyſes, ſubſequentur plus minus completæ. Denique dum uno momento vaſa hæc tenera vi ſuperſtite ſanguinis penetrantur, altero momento præ nimio collapſu penetrari nequeunt, convulſiones ſubſequantur neceſſe eſt.

4^to. Capitur quoque cur omnium horum morborum ſive affinitas, ſive diſparitas, rite inter ſe collatæ, ideam eorundem Medicorum menti vividiſſimam imprimant: ita quidem, ut Apoplexia compreſſione nata univerſum Encephalum æquabiliter premat; deinde ut cauſa Paralyſin generans nonnullas modo fibras premat, quorundam nervorum futuras origines; tandem ut cauſa Epilepſiam, aut Convulſionem, efficiens, uno momento vi irruens, terri-

biles

biles producat contractiones, altero momento, repleto quasi nimium cerebro, vi repellatur: unde Epilepsia vera est veluti alternans Apoplexia, & nimius motus; & cessante demum illo motu, somnus Apoplecticus fit, quo morbus veluti coquitur, si paroxysmus est curabilis: sin minus, in letalem abit Apoplexiam.

§. III. Ab his regulis sola Catalepsis abludit. Ut ejus legitima Idea habeatur, omnino totus casus legendus est, quem *Ill. Præses* refert ad §. 1086. Aph. *Boerh.* ex *Act. Reg. Scient Par. ann.* 1742. Primo enim describitur Catalepsis perfecta, cum omnibus suis stupendis apparitionibus. Id tamen hic notandum, quod in omnibus Catalepticorum historiis, quivis diversi Observatores distinctum quid, alii præ aliis, notent; quodque hinc Catalepseos tam varia facies describi soleat: quanvis fateamur in om-

ni vera Catalepsi, ipsis descripta, illud Catalepticum, καταχρησικῶς ita dictum, certo morbi tempore in singulis adesse. Tum & mire mutantur ipsi hi morbi. Cataleptica, de qua textu citato, elapso aliquo tempore simul fiebat somnambula: deinde in eo etiam mutabatur morbus, quod deinceps multa garriret, inordinate loqueretur, cantaret, videret, & post deambulationem peractas iterum lectum peteret, tegeret corpus stragulis, cataleptica fieret, & post $\frac{1}{4}$ horæ catalepseos paroxysmum totum absolveret. Ut melius autem capiatur qui morbus hic se habeat, en quæ viderim!

Puella 12. annorum frigida, mucosa tota, catalepsi bis ter nucthemeri spatio repetente, corripitur; idque integro ferme mensis spatio. Catalepsis quacumque corporis positione eam prehenderet, jacentem, stantem, incedentem, in manducatione cibos potusve ad

os

os ducentem, semper illam in eadem positione servabat; nisi forte quis alius mutaret. Vix per octiduum hic fuerat morbi status, quin ingentem subiret mutationem. Quæ enim taciturna olim in paroxysmis jam fit garrula, tantaque cum rapiditate loquax, ut sana nunquam tam præcipitanter loqueretur; sed distincte tamen, & ad rem. In pluribus paroxysmis præsens audivi eam *Psalmos Davidicos* cantantem ritu Protestantium, quorum fide a teneris imbuta erat. Cantus autem ille notas musicas exacte observabat, ut asseverabant adstantes. Tum audivi recitantem Catechismum, quem tenuerat memoriter, una cum plurimis textibus ex sacris Bibliis, ad quæstionem catechismi quamlibet adpositis. Cum ad textus hos Librum adjungeret sacri Autoris, & Caput, & Versiculum, illico ego in catechismo id examinans ad literam om-

nia prolata esse stupebam. Sed neque hic finis. In vitia hominum acriter inferebatur, & occasione textuum laudatorum invehebatur in Adulteros & Impudicos homines, præprimis autem in hominem viduum, in vicinia habitantem, quod pellicem domi aleret; qui tamen ipse, paroxysmum visurus advolaverat, atque ita præsens præsentem audiebat has diras imprecationes in sese proferentem, quanquam ipse nullatenus puellæ sub conspectum caderet. Sæpius contigit, ut tum familia, tum ego maxime, quid doli subesse suspicati, varia, explorandi gratia, tentaverimus; sed nihil simile. Nunc unguibus teneram cutim ita vellicabam, ut multis post diebus impressa vestigia gereret; nunc lumen ipsis fere pupillis admovi, visurus an se contraherent; acicula varias corporis plagas pupugi, ita ut sanguis inde exsiliret: verum omnia incassum.

In-

Interim per totum paroxyſmi tempus quotiescumque ego brachium, crus, manum, digitum, caput, ſitu mutabam, perfecte ſic, ut poſueram manſit, itaque tam longo temporis ſpatio, quo ego ſanus, partes extenſas eodem in ſitu neutiquam ſervarem. Perfecte curata eſt iis, quæ mucoſam ac flaccidam temperiem emendarent.

In hoc igitur morbo τὶ ἄγνωσον adeſt. Ab una parte commercium corpus intermentemque deletum adparebat, quod Nervi ſentientes nullatenus viderentur affici; ab altera parte commercium id non deletum adparebat, quod ſapienter ratiociniata, & memoriter multa aptiſſime recitans, organa vocis, (& quotuplicia hæc!) expeditiſſime moderaret. Sed eſt præterea aliud adhuc notandum hic. Nervi ad motum deſtinati ſe non ita habent, atque in Paralyticis, quando commercium Nervi

cum

cum Senſorio communi interceptum eſt. In Paralyſi enim affecta pars mox flacceſcit, fitque immobilis, atque haud raro etiam inſenſilis: in catalepſi vero corpus manet ut antea, ſedentis, gradientis, ſtantis, comedentis, bibentis, figura. Haud ergo Paralyſis eſt, ſed etiam non eſt motus. Quid ergo eſt? Eſt continuatio ejus, quod ultimo ſanitatis momento ad motum bonum requiſitum aderat: id nempe in ea, quæ olim movebatur, ſe ſuſtinet parte. Imo ſi adſtantium quis ſitum hunc permutaverit, & in alium direxerit, ut jam cogat alios prorſum muſculos ut agant, eſt fere idem ac ſi ſenſorium commune novis his muſculis novas vires largiretur, ad hunc ſitum, idque pertinaciſſime, conſervandum.

Porro quod in corpore obſervamus, idem de mente cogitemus. Quoties enim obſervatum non eſt ideam ultimam ver-

verbis expreſſam, ante paroxyſmum, ita eandem manere, ita eſſe immutabilem, ut denuo prima ſit, quam homo habet, verbiſque enuntiet, catalepſi, quantumvis diuturna, ſoluta? Ut profecto, quemadmodum muſculi, ſi ab aliis non mutentur, ita ſoluto paroxyſmo ſe habent, quam immediate ante illum habebant; ita quoque maneat impreſſio Idearum, & conſequens inde ratiocinium. Igitur totum illud intermedium tempus inſcia, ut videtur, mente tranſigitur; ita ut cogitationes mentis, loquela eas enuntians, novus ab adſtante homine muſculis conciliatus motus, a mente non videantur adverti, a memoria non notari. Intermedium illud ſpatium tam perfecte de Vita humana abſcinditur, ut prima poſt paroxyſmum idea, primuſque motus, eo modo cohæreant cum prioribus ultimis,

ac

ac si integrum quid, & nunquam interruptum componerent.

Somnambuli forte quid simile habentes, in nonnullis iterum differunt. His corporis cum anima commercium silet, sed non inter animam, & gradatorios musculos. Imo cum quidam studiose evitent mensas, sedes, obstacula, in via posita, idque in tenebris, videntur tactu valere, & mentis commercio eo usque uti, ut ad latus declinantes evitent obstacula.

Subsistit hic examen physiologicum: haud enim datum est nobis miri animi nostri cum corpore commercii capere leges. Ignoramus prorsum eas, quarum ope commercium hoc peragatur, partes; ignoramus qua se lege & tangant, & moveant, & iterum sistant. In genere novimus necessariam musculi suis cum vasis integritatem; boni nervi toto itinere suo aptitudinem; integrum,

quem

quem pro ſenſorio communi habemus, locum: verum plures in ſententias ſciſſi, mutuam harum omnium harmoniam, agendique facultatem, minime capimus. Nervorum cavitatem, fluidi per eam transfluentis præſentiam, ſcholæ crepant, ſed alterutrum exiſtere nullus mortalium, optimis licet armatus microſcopiis unquam demonſtrare potuit: etiam videntur actiones muſculoſæ in corpore exiſtere, quibus communi lege explicandis haud ſufficimus. Unde ad hæc omnia ſapienter Eminentiſſimus *De Polignac*, *Anti-lucretii ſui pag.* 158.

Nos vero plerumque latet quænam organa motus
In nobis vigeant; & qua ſint arte regenda:
Nec reſcire juvat: ſatis eſt nam velle moveri,
Quilibet ut ſe moveat, rudis atque peritus. & pag. 187.

Scili-

Scilicet ignorat mihi mens, ſibi credita qualis
Machina ſit; quanta momentorum arte regatur;
Quam varie compacta, & miro condita textu.
Attamen impellit cum vult, agitatque movendo
Compagem; ac ſubito flectit, prout imperat, artus.
Quod moveat, planum eſt cauſam prodire movendi
Mentis ab imperio: verum id, quod neſcia præſtet,
(Neſcia non motus, quem præcipit ipſa, ſed Artis,
Qua fit, & elicitur, liquido demonſtrat adeſſe
Cauſam, quæ regit effectrix &c.
& pag. 358.
Denique nec per ſe Mens ullo corpore tangi,

Nec

Nec quocumque modo connexum impellere corpus
Noſtra poteſt. Unde eſt igitur, quod mutua ſeſe
Commoveant? Certiſque in corpore motibus ortis,
Notities menti adveniat, tum certa cupido?
Atque ex notitia, certaque cupidine mentis,
Quidem enaſcantur motus, & corpore gliſcant?
Naturas adeo duplices quæ fibula nectit?
Quidquid enim nectit partes, ad utramque neceſſe eſt
Pertineat: Sic vitta manus, ſic lora jugales,
Vincula ſic ulmo vitem, ſic ſtamina pannos:
At vinculum ſi corpus erit, qui prendere Mentem?

Et si Incorporeum, qui prendere Membra valebit?

Ergo INFINITI conjunxit sola VOLUNTAS.

§. IV. Sed antequam hanc materiem missam faciem, quæstionem circa Nervos gravem movere necesse est. Cur nempe vitia pag. 214 in sinistro cerebri hemisphærio sartoris, ut causæ paralyseos dextri lateris, assignentur?

Est profecto antiquissima *Hippocratis* observatio, ab aliis deinceps, præcipue ab *Hildano* confirmata, quod læso, pressove, uno cerebri hemisphærio, oppositum corporis latus paralyticum fiat. Frequentissimæ ejusmodi observationes effecere, ut jam ante 60. annos egregius *Poupartius* in *Act. Acad. Reg. Sc. Par.* statueret Medullares fibras se decussare; ita ut cranio egressæ, oppositas peterent corporis plagas. Ita quoque *Petitus* in scripto dicto *Lettres d'un Medecin*,

decin, *Valsalva*, Aliiqui: sed instar omnium magnus Venetorum Anatomicus *Sanctorini Obs. an. cap.* 3. §. 12. *pag.* 61. *edit. Leyd.* qui apta ad id cerebra nactus, tribus potissimum in locis hanc Decussationem demonstrare solebat: Scilicet in priore & in posteriore protuberantiæ annularis crepidine, atque maxime in imo Caudicis medullaris, qua in spinalem abit. Vide etiam *Hist. Acad. Reg. Sc. Par. an.* 1742. *pag.* 53. *in* 8. Siccius cerebrum hisce diebus nactus, idem observasse mihi videor.

Sane si morbi cerebri læsi oppositam Corporis plagam perpetua lege afficerent, omnia quæ ad hanc quæstionem spectant, exposita decussatione jam explicuissemus: verum res ita non est, unde multæ difficultatas hinc exsurgunt.

1. Apud Collectores casuum sæpius jam memoratos, historias reperimus innumeras, vitiosi v. g. cerebri

dextri, cum Paralyſi lateris corporis ſiniſtri, & cum convulſione dextri.

2. Cum Paralyſi ejusdem iateris, convulſione oppoſiti.

3. Cum Paralyſi lateris ejusdem, ſine ullius partis convulſione.

4. Cum convulſione ejusdem lateris, ſine ulla ullibi Paralyſi, ut puella pag. 201.

5. Cum Paralyſi & Convulſione ejusdem lateris.

6. Cum convulſione univerſali, & Paralyſi dextri lateris, ubi tamen cauſa videbatur cerebrum integrum occupare.

Hac occaſione nuperam addam anatomen. In pueri, cujus hiſtoria pag. 138. habetur, cadavere, Pia Mater univerſa varicoſa, vix ullibi cum ſubjecto cerebro tam in ſuperficie, quam intra ejusdem gyros, cohærens, Lympham pellucidam gelatinoſam ſupra ſe gerebat. Hæc porro omnia in utroque

Cere-

Cerebri Hemiſphærio ex æquo obtinebant. Equidem ventriculus dexter ſuperior Lymphæ, ad ignem non concreſcentis unciam continebant; verum incerti ſumus, an contrectatio & compreſſio alterius hemiſphærii nondum perſciſſi, aquam ex ſiniſtro ventriculo in dextrum, quem examinabamus, non duxerit. Flatus enim in unum ventriculum iñiſſus, in alterum ſæpe tranſit; ita ut quo loco ſeſe ambo contingunt, in medio nempe, & iterum ante thalamos Opticorum, mutuo ſecum communicare videantur. Imo hac occaſione ablata reſiſtentia in ventriculo, quem examinamus, pondus relicti ſupra alterum ventriculum Cerebri, poteſt ſubjectum ventriculum comprimere, premente Anatomici manu adjuvante, ſicque ſubjectum ventriculum evacuare, dum Lympha vel ros, utrumque ventriculum explens, ultra non æquilibratur. Si quisquam hic forte regerat tunc

nunquam posse de copia Lymphæ, unum ventriculum præ alio explente, judicium formari, & ad morbi referri causas; huic respondeo: casus manifestos dari, qui justum relinquant post sese, certumque judicium. Quippe ad casum pag. 185. vidimus ventriculum hydropicum duplo triplo ampliorem suo compare redditum fuisse: unde certe nulla ibidem adfuisse communicatio videtur, & ratiocinium de hydropico hoc ventriculo justum est. Deinde si Lympha tenax valde, etiam communicatio ventriculorum obtinere non videtur. Hinc casus existunt unde nihil, casus unde multum, concludi licet.

Puer porro hicce pridie ante mortem convulsiones universales habuit, & perfectam Paralysin totius dextri lateris. Si nunc in eodem dicamus ventriculum dextrum præprimis hydropicum fuisse, suique lateris pressisse cerebrum, tunc

tunc paralyſin offendimus in eodem affecto latere: ſi vero negamus hoc inde poſſe concludi, probatur ſaltem id, quod mox ad n. 6. dixeram.

Ex omnibus autem hucuſque dictis concluditur dari quidem, quæ ſeſe decuſſent, fibras; hujuſque decuſſationis effectu oppoſiti lateris morbos exponi: haud tamen omnes ſe decuſſare; ſed eſſe quæ ſe minime decuſſent, adeoque proprii lateris nervos formare videantur: unde tunc ſimul phænomena, quæ eodem in latere contingunt, explicata habentur. Sed ex omnibus his minime explicamus cur cauſa, eadem nobis viſa, potius convulſionem, quam paralyſin excitet; aut vice verſa? vel cur a cauſa iterum eadem in uno homine oppoſitum latus paralyſi, latus affectum convulſione prehendatur, aut iterum in alio præciſe contrario modo?

Obiter monitos lectores volo me jam pluries deprehendisse, quod Lympha ventriculorum Cerebri ad ignem non coaguletur, ut jam quatuor experimentis patuit. Confirmant hæc *Boerhaavii* sententiam de Lympha Cerebri id jam olim statuentis: ad quam sententiam corroborandam laudare solebat totam octavam propositionem *L. Bellini* de motu cordis; qui & suis, & clari *Lambechari* experimentis, id evicerat. Attamen egregius *Hallerus ad §. 274. Inst. Boerh.* Lympham hanc concrescibilem statuit, inter alia etiam *Tracassati*, cujus de Cerebro Tractatus inter *Malpighiana* habetur, autoritate fretus. Respondere tamen possumus *Fracassatum* de Morbosis agere, *Bellini* vero & *Boerhaave* vel de sanis, vel de saltem parte non morbosis. Experimenta saltem mea idem quod *Boerhaave*, idem quod *Bellini*, evincunt, clamant.

CA-

CAPUT VI.
DE
SANGUINE ET CALORE HUMANO.

§. I. *Regulæ, ponentis in acutis morbis venæ sectionem post 4. diem licitam non esse, sanguinemque in acutis malignis dissolvi, incertitudo ac fallacia experimentis demonstrantur.* §. II. *Ad problema, utrum oporteat foeminæ, menstrua, aut lochia, habenti, venam tundere, necne; ratiocinio, experientia, & autoritate, respondetur.* §. III. *Arteriosus sanguis nec colore mutatur ut venosus, nec suum ita a sese serum dimittit.* §. IV. *Constanti lege Syrupus Violarum virideſcit a sero sanguinis recentissimo ab ovi recentissimi albumine: ita ut alcali præsentia hoc solo experimento non notetur.* §. V. *Calor non a solo attritu.* §. VI. *Defectus est in Methodo mensurandi calorem humanum, quod tempus thermometron adplicandi non definiatur: probatur experimentis quibus simul evincitur latitudinem caloris in sanis hominibus esse inter 94. & 98. gradum.* §. VII. *Sententia communis de differentia caloris inter homines adultos vegetosque, pueros, ac senes, multiplici experimento exploditur.*

§. I. Sanguis acutis in morbis, inflammatoriisque, vulgo ſcribitur phlogiſticam ſuam naturam deponere poſt horum morborum diem quartum: in malignis vero dictis morbis loco vi plaſticæ ac phlogiſticæ diſſolutionem præ ſeſe ferre. Quam opinionem refellere, ut *cap. de morb. mal. tom.* 3. conatus ſum ita novo luculentoque, refellam experimento.

Juvencula in febre continua putrida, neglecta prorſum, nullam omnino artis opem experta, die undecimo morbi ad nos defertur, toto pectore, colloque anteriore, plurimis petechiis ſcatens: morbo, ut illa retulit, quotidie aucto; nullamque, ut nos judicare debuimus, ſui coctionem præbente. Sanguis ipſi tunc miſſus, in vaſculo primo & tertio cruſtra phlogiſtica tectus erat, univerſaque in rubra parte compactiſſimus. Duodecimo morbi die repetita venæ ſectio,

ctio, cruſtam dedit heſterna denſiorem. Ergo nec 12. dierum diuturnitate, nec centenarum petechiarum eruptione, ſanguis inflammatoriam ſuam ſpiſſitudinem, ſive cruditatem amiſerat. Unde nemo miretur venæ ſectionem, eandemque iteratam, provecto adeo morbo, inſtitutam eſſe. Ut enim *Tomo I. pag.* 71. *Hippocratis*, in Pleuritide *Anaxionis*, exemplo, & experientia medica evici, Cruditas morborum non tempore duntaxat, ſed conditione, cognoſcitur: id quod Auditores mei centies in Noſocomio obſervaverunt. Quam ob cauſam varii textus *Boerhaaviani*, poſt quartum diem ſanguinem mittere vetantes, ad mentem tum *Boerhaavii*, tum *Hippocratis*, intelligendi ſunt: tunc nempe venam tundere poſt 4. diem haud oportere, quando ſtadium inflammatorium circa id tempus, ut ſæpius fit, mutatur; cæterum vero tundere oportere.

§. II.

§. II. Problema ſæpius coram Auditoribus agitavi, num nimirum ſeu Catameniis, ſeu Lochiis, bene fluentibus, liceret venam ſecare, ſi interea temporis ejusmodi morbus oriretur, quem alioqui, ſi alio tempore contigiſſet, venæ pertuſione confodere debuiſſemus? Contrarias in ſententias Medici abeunt; aliis id præfracte negantibus, aliis vero in ſumma neceſſitate, cum prudentia, ac parſimonia, id concedentibus. Bonam Problematis ſolutionem experimenta ſola dare poterant.

Hinc primo conabar quantitatem ſanguinis, quibus linteamina commaculantur, ſatis certo æſtimare. Eo ſcopo in ſanguine, determinata præciſe copia miſſo, & adhuc calente, Linteamina ſubmerſi, magnitudinem oriundarum inde macularum examinaturus, notaturus. Iteratis hiſce experimentis eo devenimus, ut ſanguinis, linteaminibus excepti quantita-

titatem, quovis depoſito pretio, exacte calcularemus. Et quia plebejæ, tempore menſium, lochiorumve, mutatoriis carentes, unico linteamine toto tempore utuntur; quod, quia nunc multum nunc parum, & iterum ſæpius, poſtquam, ſilente per horas fluxu, ſiccatum eſt, dein eodem redeunte, plurimum in ſiccatis imbibit locis; eadem arte in tingendis linteaminibus noſtris uſi ſumus. Juſti ergo exiſtimatores ſic facti, linteamina, tum Menſtruantium variarum, tum Puerperarum, exacte conſervavimus, ut demum quantum ſingulæ toto illo temporis ſpatio evacuarent, juſte determinaremus.

Sic didicimus nonnullas foeminas menſtruo tempore tres uncias ſauguinis demittere, alias quatuor, quinque; pauciores eſſe, quæ ſemilibram; raras admodum quæ uncias decem evacuarent, niſi uteri quopiam defectu laborarent.

Quan-

Quantum autem ad Puerperas; si prolem mox lactarent, his deprehendimus lochia passim parciora cæteris esse, adeoque Libram nonnullas, alias sesquilibram, evacuare. Casus fuere Abortuum, in quibus mihi jurarent Obstetrices plus 8. 10. Libris evacuatum fuisse, cum tamen totum sordidarium mapparum acervum examinans, vix sesquilibram evacuatam esse existimare debuerim. Cui hæc creditu difficilia videntur, hunc de veritate dictorum iterata experimenta convincere poterunt.

Si itaque Menstruantes 3. 5. 6. 8. uncias evacuant cruoris, eodemque tempore morbo occupantur, cui sedando vix quatuor Libræ sufficerent, nonne evidentissimum est venæ sectionibus jam parcendum non esse? An circa Puerperas acute laborantes non idem concludendum? Eoque magis, quo citiore

Re-

Revulsione requisita, fluxus ordinarius passim non nisi guttatim prodeat?

Jure ergo meritissimo Ill. Baro *van Swieten Tom.* 3. *Comm. C. de Pleur. pag.* 38. *Sydenhami*, *Tulpii*, *La Motte*, exempla laudans, simul vituperat omnem in mittendo sanguine, dum casus urget, parsimoniam. Laudatus ibidem *La Motte Lib.* 2. *pag.* 224. pronuntiare ausus est venæ sectiones iteratas in puerpera unius diei, unicum fuisse, quo servari potuisset, auxilium. „ Licet enim „ inquit, lochia abunde fluerent, mul„ tumque Natura ageret ipsa, haud „ sufficienter tamen agere videbatur; „ cum sine iteratis venæ sectionibus, „ brevi suffocata fuisset. Et quid ita? Morbus ejusmodi erat, ut duplo copiosiorem sanguinis evacuationem paucarum horarum spatio posceret, quam Uterus sponte sua integro stillasset octiduo. Addit idem *La Motte* plures similes Puerpera-

perarum hiſtorias, quas inter notanda cujusquam puerperæ, continuante debito Lochiorum fluxu pleuriticæ, cui novem venæ ſectionibus ſuccurrere debuerit. Equidem fœminarum temperies, idioſyncraſia, ætas, anni tempus, Regionum varietas, mutare utcumque, quem dedi, Calculum poſſunt; ipſam tamen rem ſic ſe habere, conſtanter evincent.

Hinc didicere Medicinæ ſtudioſi in Noſocomio Venæ ſectiones in his caſibus nunquam reformidare, ſi alias indicarentur: ita vero eas eſſe inſtituendas, ut ſi nihil referret, qua vena ſanguis effluereret, is ſemper, quo naturalis uteri evacuatio minus turbaretur, ex pede duceretur: ſin vero Morbus ipſe per ſe cum brachio educi poſtularet, ut v. g. in ea Pleuritide, quæ ab arteriarum intercoſtalium Aorta dicta deſcendente oriundarum, inflammatione proficiſceretur,

retur, audacter is, feliciterque, ex brachio mitteretur.

§. III. Indoles arterioſi ſanguinis quam ab ea venoſi differat! Toties repetitum experimentum docuit naribus profluum cum impetu ſanguinem, colore vix mutari, dum conſervatur, niſi demum quando putret. Læte rubicundus ipſi color, & in ſuperficie aëri contigua eſt, & in averſa, & omni denique parte, quotuplici ſectione eandem diviſeris. Demonſtrant utique hæc juſtam Refutationem eſſe variarum ſententiarum, quæ & neceſſariam ſtatuerent Coloris mutationem, & mutationis ejusdem rationem exponere ſatagerent, in *Part.* 1. *Rat. Med. Pag.* 110. 111. Aliomodo etiam differre a venoſo ſanguine Arterioſum, ex eo collegimus, quod vix ſerum a ſeſe ſeparare ſoleat, diu licet aſſervatus; perfectiorem, intimioremque, omnium miſce-

lam hinc demonstrans. Plura horum experimentorum ibidem communicatorum, sæpius repetita, semper eosdem, quam citato loco enarravi, produxere effectus.

§. IV. An notaverit quisquam quod serum sanguinis, recentis, tum optimum, flavescensque, tum etiam non flavum, ut quorundam hominum est, venæ sectione eductum, Syrupo violarum viridem colorem constanter impertiat? Est tamen Observatio, me nunquam hucusque fallens. Communi sententia Alcali hæc nota esset: tamen hoc ipsum serum cum aceto mistum nullam gerit Alcali notam. Imo Albumen ovi, quod in multis (non in omnibus, ut *Part. I. pag.* 96. 97. evici) sero sanguinis simile est, hoc inquam, de recentissimo ovo sumtum, æruginis fere colorem huic Syrupo conciliat. Novi equidem in ovi albumine quid inesse, quod vas argenteum, in quo

ali-

aliquantiſper conſervatur, fœda tingat aurigine, ſed nonniſi coctum id præſtat; recens, nec igne mutatum, minime. Plus decies ſimilia experimenta variis in ſubjectis iteravi, quo demum intelligerem, utrum ſerum Hydropicorum, ſi ſyrupum ita tingeret, nec cum acidis tamen effervescet, alcalinum, necne, appellitarem. Certe perperam videmur hucuſque alcali præſens hac nota ſtatuiſſe.

§. V. Quæ variis in locis *part.* 1. 2. 3. de vario caloris gradu, morbo ingraveſcente, miteſcente, finiente, protuli, horna mea experimenta confirmarunt; quorum en pauca!

Mulier exulcerato Mammæ cancro miſera, colore livida, omnino emaciata, pulſum parvum habens, tota die ſedens iterato quater ſpatio menſis experimento, conſtanter inventa eſt gradus tres quatuorve majoris, quam ſano in homine eſt, caloris notare.

Sed, mirum dictu! omnium maximus calor inventus est hominis, quo tempore cum morte luctatur, expirat, jamque aliquantum vivere desinit. Ita quidem, ut deprehenderimus, in ægro, cujus calor per totum acutum morbum supra 103. gradum non adscenderat, sub mortem, perque bina a morte minuta, notari gradum caloris 106.

Vir 50. annorum, de quo pag. 190. sermo erat, lentissimo igitur morbo enectus, notabat 9. horis ante mortem adplicato thermometro per 8. minuta 97. gradus caloris; per 15. minuta 100. hicque fuerat in longissimo morbo consuetus explorati caloris gradus. Quo momento animam efflabat 97. gradus, idque per $7\frac{1}{2}$ minuta. Deinde per 4. minuta 101. Posthac omni quarto minuto thermometrum vigesies examinatum, id est per horam & 20. minuta, semper grad. 101. Dein quovis quarto minu-

minuto examinatum, 100. gradus: omni quarto minuto quater, 99. gradus: omni quarto minuto ter, gradus 98. omni 4^to. minuto quater, gradus 97. omni 4^to. minuto ſepties 96. & 15. a morte horis necdum infra 85. gradum thermometron deſcenderat, licet aër domeſticus eo tempore vix 60. gradum notaret.

Quæritur nunc an Theoria caloris, ut ſolo attritu geniti, ſatis fundata ſit? An vero in corpore animali cauſæ aliæ, præter attritum, neceſſario exiſtant genetrices caloris? Veteres ſaltem cauſam nativi dicti caloris diverſam credidere ab ea, quæ frebrile incendium faceret. Ita *Galenus in Aph.* 14. *Sect.* 1. ait: „ Alioquin febricantes diceremus plu-
„ rimum habere nativum calorem; qui
„ nedum plus, ſed nec priori æqualem
„ habent. Εὐκρατος μεν ἐςιν ἡ ὐσία τε ἐμ-
„ φύτε θερμε, πυρώδης δε ἡ τε ἐπικτήτε.

 „ Pro-

„ Probe namque temperata est caloris „ nativi substantia, ignea autem substantia est caloris adventitii.

§. VI. *Rat. Med. part.* 2. *c.* 10. *p.* 156. 157. 158. in caloris gradu, tam in ægris, quam in sanis, definiendo, conquestus sum justum tempus adplicationis Thermometri ab autoribus non determinari, cum pro tempore adplicationis multa ejus differentia esset. Plurima recentiora experimenta legitimas has querelas demonstrant. In sano homine thermometron spatio $\frac{1}{8}$ horæ notans 96. gradus, facile per horam ad 100. imo ad 102. adscendit: quantacumque vero temporis diuturnitate tunc adplicatur, non adscendit ultra. Centies iteratum experimentum, toties idem confirmavit. Haud tamen ita semper adscendit. Unde cum observatio variet, en quid pro certo communico. Contingit nonnunquam ut ultra gradum caloris il-

illum, qui ſpatio horæ quadrantis notabantur, thermometrum non petat altius; nonnunquam ut ſupra eum gradum haud adſcendat, qui ſpatio dimidiæ indicabatur horæ; ſæpius non ſupra gradum dum intra tres horæ quadrantes indicatum; frequenter tamen ad horam integram creſcat. Ut ex omnibus hiſce hæc ſit certa concluſio, qui gradum caloris in dato homine juſte determinare geſtit, eum horæ integræ ſpatio thermometrum adplicare debere. Quod ſi Medicus aliunde occupatior ſuo tempore eget, eum raro fallendum, falliturumque, ſi per $\frac{1}{4}$ horæ adplicans, unum alterumve gradum notatis gradibus adjecerit: licet enim nonnunquam ultra quadrantis ſpatium non adſcendat, licet etiam poſt quadrantis horæ adplicationem thermometron pluſquam duos gradus ante horam elapſam adſcenderit, tamen reſpectu communicatæ obſerva-

tionis adeo hæ exceptiones ſunt rariores, ut qui ad gradus, ſpatio quadrantis horæ notatos, unum alterumve adjecerit, rariſſime fallatur.

Sed & hoc addendum eſt. In multis ſanis vegetiſque hominibus; quietis, leviter motis; jejunis, leviterque paſtis; exploravi num ſemper calor naturalis 95. 96. graduum foret; ſed deprehendi qui conſtanti lege 97. rariores, qui 98. rariſſimos qui 99. ſemper notarent. Quod ideo notatu dignum judico, ne qui ſint, qui ex ſolo thermometro hominem febricitare pronuntient, qui forte naturaliter modo calet.

§. VII. Quæritur quid cenſendum ſit de ſententia *Hippocratis* Aph. 14. „ Sect. 1. Quæ creſcunt plurimum ha„ bent calidi innati: plurimo igitur „ egent alimento; ſin minus, corpus „ conſumitur. Senibus autem paucus „ calor; propterea paucis fomitibus, „ in-

„ indigent : a multis enim extinguitur.
„ Idcirco etiam febres ſenibus non ſimi-
„ liter acutæ. Frigidum enim eſt cor-
„ pus." Forſitan *Hippocrates* hic tantum de Calido innato ventriculi, & neutiquam de calore univerſi corporis, in variis hominum ætatibus egit; & Aphoriſmus hunc proxime ſequens, ut eum ita intellexiſſe credamus, nos utcumque inducit. Tamen cum ipſum *Senum Corpus*, non ſenum ventriculum, *frigidum eſſe* affirmet, videretur in hoc Aphorismi univerſi corporis calorem intueri. Quemadmodum quoque hunc ipſi ſenſum *Galenus* in longo hujus Aph. Commentario, & præcipue in Libro adverſus *Lycum*, tribuit; qui & ipſe ejusdem cum *Hippocrate* ſententiæ ſe eſſe manifeſto ibidem declarat. Verum necdum ideo hos veteres autores, ita de calore variæ ætatis differentes, errores incuſare licet; cum quo id ſenſu inteligerent, addide-

rint. Si enim totum *Galenum* in Libris ſuis de Temperamentis patienter evolvimus, inveniemus demum eum ingenue fatentem Libr. 2. cap. 2. apud *Charterium* Tom. 3. pag. 60. „ Et quid opus „ eſt in tam diſſimilibus Exemplum „ proponam? Cum ipſe aër, *qui ſimili ſit calore*, varie tangenti occurrat, „ prout alias veluti caliginoſus, & halituoſus, alias veluti fumoſus, & fuliginoſus, interdum purus omnino eſt. „ Igitur in pluribus, iisdemque differentibus, æqualitas caloris conſiſtit: „ *quæ inconſideratis, quaſi inæqualis ſit*, „ *imponit*; propterea ſcilicet, quod „ non undequaque ſimilis adparet. Cæterum homo, qui rationes, quas „ propoſui, expenderit; & ſenſum in „ multa particularium experientia exercuerit, is nimirum *æqualitatem caloris in pueris, florentibusque, inveniet:* „ nec eo falletur quod alter in humida,

„ al-

„ alter in ficca ſubſtantia, repræſente-
„ tur : quippe lapis aliquando pari
„ cum aqua calore eſſe poteſt, nullum
„ eo faciente diſcrimen quod lapis ſic-
„ cus ſit, aqua humida. Ita igitur mihi,
„ cum pueros, juvenes, adoleſcentes
„ millies conſideraſſem ; præterea eun-
„ dem, infantem, puerum, adoleſcentem-
„ que factum; nihilo calidior viſus eſt nec
„ puer, quam ætate florens, nec æta-
„ te florens, quam puer : ſed tantum,
„ quemadmodum dixi, in pueris magis
„ halituoſus, & multus, & ſuavis, in
„ florentibus exiguus, ſiccus, nec ſimi-
„ liter ſuavis eſſe caloris occurſus...
„ *Itaque neuter eorum ſimpliciter videtur*
„ *altero calidior ;* ſed alter, multitudine
„ ejus, quod difflatur, alter acrimonia.

Qui poſtremis hiſce temporibus de ſanguine ac calore humano ſcripſere, unanimiter ſtatuunt in media ætate calorem eſſe maximum, eo quod vaſa robuſti-

buſtiſſima illis ſint, denſique ac compacti ſalubriter humores: ſenilem vero ætatem, quod vaſa morboſe rigida, glutinoſaque liquida habeat; tum & puerilem, quæ vaſis copioſis ſed flaccidis, humoribus vero aquoſioribus componitur, calore minore gaudere. Affirmant & doctrina mechanici attritus, & experientia thermometrorum, evidentiſſimam hanc Theſin eſſe, meritoque ſe huic totam ſuam de ſanguine Theoriam ſuperſtruere.

Statu quæſtionis utrinque propoſito, liceat, pro omni reſponſo experimenta noſtra enarrare, quæ hac intentione inſtitui in Noſocomio Civico, quod cum Orphanotrophium, Gerontrophium, ac Ptochotrophium ſimul ſit, ob idque 1400. homines alere ſoleat, aptam mihi præbebat experiundi occaſionem. Experimenta omnia capta ſunt jacentibus, & bene tectis circa thermometrum hominibus. Et

ne

ne quandoque thermometrum a thermometro tantillum differret, unicum modo adhibitum est, ea lege, ut post singulam adplicationem calorem deponeret, antequam denuo adplicaretur; licet forte cura hæc superflua fuerit. Omnes sani erant.

Primo sumsimus Infantes.

2.	*Dier. per* $\frac{1}{8}$ *hor.*		94.	*Grad. per* $\frac{1}{4}$ *hor.*			96
3.	—	—	95.	—	—	—	97.
3.	—	—	97.	—	—	—	99.
4.	—	—	97.	—	—	—	99.
3.	—	—	95.	—	—	—	97.
5.	—	—	96.	—	—	—	98.
7.	—	—	97.	—	—	—	99.
7.	—	—	97.	—	—	—	99.
10.	—	—	96.	—	—	—	99.
21.	—	—	95.	—	—	—	97.
22.	—	—	97.	—	—	—	100.
28.	—	—	96.	—	—	—	98.

Ab Infantibus devenimus ad Pueros.

$4\frac{1}{2}$. *Annor. per* $\frac{1}{8}$ *hor.* 96. *Grad. per* $\frac{1}{4}$ *hor* 98.

5.	—	—	—	95.	—	—	—	98.
$5\frac{1}{2}$.	—	—	—	94.	—	—	—	97.
$5\frac{1}{2}$.	—	—	—	94.	—	—	—	97.
$5\frac{3}{4}$.	—	—	—	96.	—	—	—	98.
$5\frac{3}{4}$.	—	—	—	96.	—	—	—	98.
6.	—	—	—	95.	—	—	—	97.
$6\frac{1}{4}$.	—	—	—	94.	—	—	—	97.
$6\frac{1}{2}$.	—	—	—	95.	—	—	—	97.
7.	—	—	—	95.	—	—	—	98.
$7\frac{1}{2}$.	—	—	—	96.	—	—	—	99.
$7\frac{1}{2}$.	—	—	—	95.	—	—	—	98.
$7\frac{1}{2}$.	—	—	—	97.	—	—	—	99.
9.	—	—	—	96.	—	—	—	99.
9.	—	—	—	95.	—	—	—	97.
10.	—	—	—	96.	—	—	—	98.

Aetatem mediam ſive adultam opus non erat examinare, cum infinita experimenta calorem dudum determinaſſent ad grad. 95. 96. 97. 98. Sed ſenes jam erant præprimis examinandi.

66.	*Annor. per.*	$\frac{1}{8}$	*hor.*	97.	*Grad. per*	$\frac{1}{4}$	*hor* 99
64.	—	—	—	96.	—	—	— 99.
69.	—	—	—	95.	—	—	— 97.
70.	—	—	—	95.	—	—	— 98.
73.	—	—	—	96.	—	—	— 98.
76.	—	—	—	96.	—	—	— 98.
79.	—	—	—	95.	—	—	— 97.
80.	—	—	—	95.	—	—	— 98.
80.	—	—	—	97.	—	—	— 99.
81.	—	—	—	95.	—	—	— 97.
82.	—	—	—	95.	—	—	— 98.
83.	—	—	—	96.	—	—	— 98.
84.	—	—	—	96.	—	—	— 99.
90.	—	—	—	96.	—	—	— 99.
91.	—	—	—	98.	—	—	— 100.

Ergo in omni hominum ætate calor naturalis æqualis eſt, & latitudinem illam poſcit, quam in Adultis requiri demonſtravi. Erantque omnes illi infantes, pueri, ſenes, utriusque ſexus; nec minores gradus hic fœminam notant, cum promiſcue nunc maſculi, nunc femellæ, minorem notarent majoremve gradum.

Igitur

Igitur vetustissimi Autores, diversitatem in varia ætate caloris statuentes, eam ita explicuere, ut cum experimentis eorum observata apprime congruant; saltem quoad infantes, pueros, juvenes, atque ætate florentes. Recentiores occasione certi experimenti gaudentes, neglexere eadem frui; quia doctrinam suam de Attritu, genitore caloris, inconcussam credentes, corollaria inde ad Senes, Infantesque, deducta, similiter adeo inconcussa autumarunt, ut vel experimentis nullis indigere sese crederent, vel iisdem & raris & neglectim captis, abunde confirmata esse concluderent. Adeo quippe arduum est Hypotheseos amore teneri, & interim a veritate non abduci. Utinam his exemplis demum sapientes, desineremus Humano generi, nobisque ipsi, tam turpiter imponere!

CA-

CAPUT VII.

DE SINGULARI QUORUNDAM MEDICAMENTORUM VIRTUTE.

§. I. *De Multiplici Autoris Naturæ intentione in creandis, perpetuandisque, Vegetabilibus, deque necessitate explorandi eorum vires: quibus intermiscetur seria Venenatarum plantarum Contemplatio.* §. II. *Varia tentamina instituta cum Lysimachia vulgari flore purpureo, Polygala Virginiana, & indigena quavis, Marrubio, Abiete, Uva ursi. Qua occasione exhibetur Anatomicus Cadaverum conspectus eorum, quibus uva ursi frustra data: proponiturque tentamen prognoscos de Lithotomia instituenda in eo, cui uva ursi non profuerit.* §. III. *Laus Planta inis latifolii aquatici, & Aquæ Calcis in hisce iisdem morbis. Laus denique Merc. Subl. corr. in sp. fr. ad multos morbos.*

§. I. Furibunda modernorum Philosophorum Gens impium hoc delirium ingrato pectore fovet, quod

Vegetabilia, quorum Botanici, ac Medici, 20000. fere numerantes, vix $\frac{1}{50}$ partem viribus noſcunt, aperte demonſtrent cœco penitus materiæ impetu, caſu in motum actæ, prodiiſſe cuncta: Orbemque terrarum hinc multis quidem, iiſque præſtantiſſimis, rebus expletum fuiſſe, ſed ſimul etiam multis inutilibus, noxiis, letiferis. Nos qui infinita DEI clementia, ea felicitate gaudemus, ut Naturæ Autorem ex ipſa Naturæ contemplatione veluti præſentem intuemur præſentes, atque ad adorandum & amandum Illum fide adducimur, movemur, ac veluti cogimur; nos, inquam, hanc impiam gentem deteſtantes, mentemque illis ſanam apprecati, tam certum habemus, quam quod certiſſimum, OMNIPOTENTEM in Vegetabilibus ex nihilo creandis, perpetuandiſque, plurimas habuiſſe, ſapientiſſimaſque rationes; quarum nonnulla pia con-

conjectura assequimur, alias demonstratione percipimus, plures denique ignorantia involutas adoramus, osculamur. Frustra enim eum nihil fecisse arbitramur, qui Sap. 11. v. 12. *omnia in mensura, & numero, & pondere, disposuit;* qui ipse quæcumque fecerat, approbavit, Gen. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

Ac primum quidem videtur DEUS Tellurem amoeno hoc adspectu ornasse, hominem recreandi, exhilarandi seque laudandi gratia. Integer Adamus & sanctus, hunc certo inde usum habuit, virtutis Plantarum medicæ, qui illibata sanitate perpetuo fruebatur, minime indigus. Atque & ipsi nos mortales, Adami deploranda prosapia, læto Plantarum adspectu, mirifice nos delectari percipimus: & si recte sapimus, si inteligimus, quid sibi benignissimus noster Servator velit, Matth. 6. v. 29. asserens ditissi-

mum, regioque ſplendore fulgentem, *Salomonem, in omni gloria ſua haud ita coopertum fuiſſe, quam cooperiantur Lilia agri*, nequimus non in ſummas Creatoris laudes effundi.

2. Numeroſam claſſem conſtituunt Vegetabilia, quæ hominem veſtiant, alant, tegant, calefaciant.

3. Animalia terreſtria, aquatilia, volatilia, in uſum creata hominis erant, primo ad veſtiendum & agriculturam; poſtque Cataclyſmum etiam ad nutriendum. Tum & ad uſus Mechanicos, Medicos. Hinc plana Tellus, & Juga montium, Mare, quoque, ac Flumina, undique vegetabilius ornanda erant; ut & alimenta inde haberent Animalia, & in iis nidos ſtruendi, ponendique, tum & pullos alendi, ſub iiſdem habitandi, ſimilesque alios inde uſus captandi, occaſionem nanciſcerentur.

4. Co-

4. Cœlo decidua pluvia in Arbores, Frutices, Plantas, incidens, moram trahens, earundemque propterea viribus imprægnata, partim se in telluris, montiumque gremium, insinuat, fertilitatem forte iisdem concilians; partim juxta declives montes, perque eorum incilia, in terram cadens, fontes ac flumina format. Unde oportet aquas quodammodo medicatas reddi; ad potum proinde, ad lavacrum, ad balneum, fieri salubres.

5. Athmosphæra porro tota quantoperene debeat plantarum impleri, saturarique effluviis! Ut ipsi Nautæ, odore illarum percepto intelligant se continenti proximiores fieri. Estque hæc una de causis, quæ aëra rusticanum adeo salubrem reddant.

Sed ad hanc, ut & ad præcedentem rationem, forsitan de impia Gente quisquam ipsam PROVIDENTIAM de non-

curantia accusare audebit; eo quod tum aër, tum aqua, æque venenatis, quam salubribus imprægnentur effluviis, particulisque: adeoque si hinc prosint, illinc noceant vehementer. Sed O minutum philosophum! Noxias vocat plantas, venenatas vocat, letiferas vocat, quæ quid proprie sint, ne intelligit quidem. Centenæ certe venenatæ sunt, & quia venenatæ, ideo salubres. Ita tota plantarum cassis alvum, ventriculum, urinas moventium, venenata quidem, & inimica corpori, & letalis tandem fit, assumta si fuerit copiosius; cognita autem debitis experimentis apta earum dosi, salutifera esse hæc tota deprehenditur classis. Verum venenum est Opium; justa autem dosi moderator dolorum est, turbarum pacator est, stator est nimiæ evacuationis. Asa foedida copiosius data ventriculum subvertit, rarefacit humores, febrem creat; moderate

rate sumta corpori prodest, solvendo, reficiendo; tandem Gentibus nonnullis patinis molliter affricta, gratiam eduliis summam conciliat. Dulco-amaræ stipites majori dosi convulsiones, & deliria excitant; moderata vero spasmos convulsionesque solvunt, humores blande attenuant.

Hinc in eam sententiam facile inducimur, quod venena plurima ideo venena sint, quia nimia copia dantur; apta si dosi darentur; egregie futura Sanitatis auxilia. Id quod judicium tamen, & prudentiam, & tempus, omnino requirit. Attamen nemini mirum videri debet, si quondam nonnulli sua horum specimina, probatosque salubres effectus, publice prodant. Quid ergo ille male feriatus Sophistes mihi respondebit, asserenti venenatas plantas merito creatas esse, quod ad salutiverum usum Athmosphæræ & Aquæ, earum

effluvia in universa effluviorum miscela, justa proportione, necessario requirebantur; quoque spes sit fore, ut demum etiam interno usu adplicatuve externo, si semel æqua earum dosis determinata fuerit, Mortalibus egregios producant effectus? Helleborus, Fellandrium, Cicuta, Solana varia, Bella Dona, Hyoscyamus, & id genus alia, noscuntur interno, externove usu, noxiæ plantæ non esse, ferrique, si non interne omnes, externe saltem posse; hinc fore ut aliæ venenatæ plantæ etiam Salutares demum deprehendantur, spem merito faciunt.

Hinc 6^to. dico, Providentiæ divinæ placuit scientiam virtutum plantarum, instinctu naturali, casu, observatione, ratiocinio, manifestare, idque ita per cuncta sæcula. *A DEO enim est omnis medela.* Eccli. 38. *Altissimus creavit de terra medicamenta,... Ad agnitionem hominum*

minum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. Crevere hac ratione experientiæ plurimæ, multaque vegetabilia in usus patefacere humanos. Socordiæ ergo summæ foret veterum inventis aut nova adjicere nolle, aut adjici posse diffidere. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*, Psalm. 18. v. 3. Sed quid demum est quod scientiæ nostræ incrementa retardat? Casus fortuiti, instinctus naturales, ut olim, ita & hodie obtingunt: prisca gens, in omnia attenta notabat ea, privatos publicosque communicabat in usus: nos vago impetu ad altiora nobis volantes, ea negligimus quæ & nobis coram, & ad nostrum aptissima captum observanda dabantur. Atque utinam adhuc inventis Priscorum uteremur! sed proh dolor! plurimarum herbarum vires a Dioscoride olim, recentius a Dodonæo, Clusio,

aliisque, enarrantur, laudantur, exemplis demonstrantur; quarum nos nec usum, nec ipsam mentionem facimus: atque ita ad veterum sapientiam nihil novi addimus, sed partem adhuc detrahimus, oblivioneque sepelimus, sicque in Materia Medica longe pauperiores ipsis deprehendimur. Hæc porro me impulit causa, ut dudum viribus simplicium, quas vetustas cognovit, neglexit posterior ætas, ex oblivione resuscitandis totum me dederim, & nova quædam observata iis, quæ Tomis prioribus dedi, adjecerim.

§. II. 1. Quæ de *Lysimachia vulgari flore purpureo*, anno præterito notavi in Diarrhœis ac Dysenteriis a laxitate oriundis; etiam in Diarrhœis & Dysenteriis olim a causa quavis alia productis, jamque causa priore devicta, a debilitate superstite postmodum continuatis; multa nova experimenta confirmarunt.

2. Ra-

2. Radix *Polygalæ Virginianæ*, Antidota inventa fuerat adversus morsum serpentis, dicti Boicininga. Cum porro cadavera eorum, quos morsus iste sustulerat, coagulatum phlogistice sanguinem omnino exhiberent, Medicus Angelus periculum fecit an eadem Radix, quemadmodum inflammatum morsu serpentis cruorem curat, ita eundem spissitudine inflamatoria obsitum quoque curaret? Votis experimentum respondit. Medici Parisienses idem experti sunt quacumque Polygalarum gallicarum specie. Vide *de Sauvages* Diss. Acad. *sur l'Inflammation.* In acutis inflammatoriis experimentum facere nolui, quia voto non respondens periculosum esse potuisset: dum enim experimentum fit, non est dandum aliud interea remedium, siquidem alioquin ejus, de quo quæritur, efficacia non patefiat. Hinc quatuor diversis hominibus dedi qui ex inflam-

ma-

matorio morbo ſuppurationem habentes, continuo prava de integro ſymptomata a phlogiſtica ſanguinis Diatheſi paterentur; ſed binorum menſium tempore in uno, quatuor in alio, in aliis duobus quinque, datum remedium non profuit: ſanguine ad neceſſarias indicationes poſtliminio ſæpius miſſo, cruſtam denſam ac tenacem perpetuo gerente. Lac cum melle copioſum adjunxeram; duntaxat tum quod hoc eidem indicatione inſerviens, vires medicamenti infringere non poſſet, tum ne, ſi illud ipſum medicamen tum non juvaret, reliquis artis auxiliis ægri omnino carerent.

3. *Marrubium* in abſceſſu, maxime Pulmonum, veteribus celebratiſſimum, in uno alterove caſu aliquantum profuit; in cæteris minime.

4. *Abies* in Scorbuto quocumque adeo celebrata, trimeſtri ſpatio a Puel-

la

la maxime scorbutica affatim epota, nihil attulit levaminis, nunquam pro ichore ulcerum verum pus produxit.

5. *Uva ursi* variæ fuit in variis efficaciæ, quam expedit exacte enarrare.

Omnes, quotquot suppuratione, eaque etiam valida, diuturnaque, ac reliquis auxiliis immorigera, in Systemate urinoso, Renibus, Ureteribus, Vesica, Urethra, Scroto, Perinæo, nulla labe venerea subliteſcente, laborarunt, idque citra evidentia præsentis calculi signa; hi passim & integre uva ursi curati sunt, & constantiam curæ hucusque referunt.

Qui manifesto calculo, calculisve laborarunt, horum plures tam constans levamen habent, ut dudum etiam a remedio quiescentes, nec doleant, nec ullum in Urina reddenda, retinendave, incommodum patiantur. Hos inter Octuagenarium numero, qui a 40. annis

nis parvos lapillulos, multamque arenam, mucum tenacem, frequenter minxerit, doloresque inde passus enormes fuerit: ante usum hujus remedii omnem plurimorum Europæ Medicorum opem frustra expertus. Videantur etiam exempla nº 2. & 5. cap. seq. de Electr.

Alia Classis horum est, qui remedio hoc curati visi, denuo relaberentur: repetito remedio, iterum quasi curati: idque ita per 3. 5. 6. vices. His suadeo perpetuo continuent; quod a plerisque, dum belle habent, vix obtinemus.

Tertia classis eos continet, qui vel nihil leventur, vel ad tempus modo, ita ut sub continuato remedio æque gravia symptomata patiantur, quam eodem non usi? quique vel ad Lithotomiam confugere debuere, vel viribus fracti, adeoque ad Lithotomiam inepti, occubuerunt.

Hos

Hos posteriores inter Puer fuit, de quo Rat. Med. part. 3. cap. 4. pag. 162. n°. 3. Huic & levamen inconstans & febris hectica aderat, hincque ad Lithotomiam destinatus. Sed Dysenteria tenesmode cum magno Recti intestini prolapsu oborta, operatio differebatur. Dysenteria tandem sustulit illum.

Haud sane profuturam operationem fuisse testabatur cadaver. Vesica urinaria circum calculum in substantiam densam compactamque ita contrahebatur, ut vix supereſſet, quod lotium exciperet cavum. Calculus ad forcipis adtactum in centena fragmenta dissiliit. Erant autem Ureteres utrinque, tota sua longitudine, digitum ampli, atque ubique, inæqualiter tamen, calloſi; proindeque, qui contraherent seſe, prorsum inepti. Eorum in dextro & volvulus ingens, & tota interna superficies puru-

rulenta, pusque effundens. Renes toti calloſi. Ita ut omne ſyſtema ouropoieticon, adeo immedicabiliter degenerans, nullum fere levamen a ſectione Calculi retuliſſet.

Similem harum partium degenerationem, ſed praviorem, in viri 37. annorum corpore invenimus; qui e longinquo ad Noſocomium Fr. Miſeric. delatus, Lithotomiam præ dolorum immanitate enixe rogabat, eamque certo ſubiturus fuiſſet, niſi, qua erat, inſignis debilitas procraſtinaſſet eandem. Tempore igitur intermedio, quo reſtaurandis viribus allaborabatur, ſimul uva urſi, cum paregoricis, data fuit; idque eo profecto cum ſucceſſu, ut per aliquod ſeptimanas dolores admodum mites expertus, ſolo virium defectu periret.

Utraque hæc Hiſtoria, ſimilesque Tom. 1. pag. 134. enarratæ, oſtendunt

dunt ejusmodi mirificas systematis urinosi degenerationes frequentiores esse, hominesque tales nec remediis sanari, nec sectione posse. Quid enim proderit calculo sectum esse, & interim pelvim, uretereſve, adeo & amplos habere, & calloſos, & purulentos? Quæ cum a priore non cognoscantur, patet Lithotomiam eventus incerti esse; hujusque incertitudinis ægros, dum eam rogent, rogenturve, serio monendos esse.

An passim, ii quos Uva ursi non juvat, suspicione laborent ejusmodi degenerationis? An igitur ideo, qui uva ursi immedicabiles sunt, etiam ad fortunatam sectionem inepti? Saltem contrarium nondum experti sumus. Calloſa penitus pelvis; Calloſus, & convolutus, sedeque pulsus, atque sua amplitudine inteſtinum potius quam ureterem referens, ureter, urinam susci-

piunt, copioſe colligunt, nec niſi ingenti cum difficultate in calloſam, contractamque, veſicam impellunt. Quin & ſemidigitum craſſa, eove craſſior, veſica, univerſim calloſa, vulnere facto non coëuns, perpetuum urinæ ſtillicidium, ſi vita adhuc perdurat, excitat.

Cum Uva urſi adeo egregia deprehendatur in ſyſtematis urinariæ abſceſſibus, occupor jam viribus ejusdem explorandis in quocumque aliorum viſcerum abſceſſu: at vero pauciora ac recentiora ſunt experimenta, quam ut hucuſque certi quidquam pronunciare auſim.

§. III. Amicus, Medicus celeberrimus, laudes ad me ſcripſit *Plantaginis aquaticæ latifoliæ*, in infuſo aquoſo propinatæ, ad calculoſos morbos, ut eam cum uva urſi viribus decertare arbitretur. Factis experimentis effectus egregios

cum

cum laudato caro, jamque celebri nomine autoris, fore ut evulgem ſpero.

Curæ Aqua Calcis, & Sapone, quondam peractæ conſtantes manent: hocque ipſo tempore eandem denuo multa cum ſpe inſtituo.

Mercurii Sublimati corroſivi, ſpiritu frumenti miſti, uſus in Noſocomio copioſiſſimus, perſeverat miras edere curas; quasque præcedentibus annis inde habuimus, gaudemus conſtantes: malo ſemel bene curato, nunquam, niſi ad novos errores, repullulante. Hoc currente anno Amauroſes incipientes, pannos, Albugines, Annoſas narium labiorumque exeſiones, &c. aliquoties feliciter inde curavimus: fatendum tamen eſt in quibusdam caſibus ſuſceptam curam haud ſucceſſiſſe.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0269
DFG

CAPUT VIII.

DE VIRIBUS ELECTRINIS.

§. I. *Curæ hoc anno vi electrina peractæ.* §. II. *Fruſtranea quædam tentamina.* §. III. *Apoplexia mucoſa, terribilibus ſymptomatibus ſociata inde curatur.* §. IV. *Difficultas curæ Paralyſeos & Convulſionis in facie, reliquo corpore ſano: miranda Naturæ via, ad deſperatiſſimum ejusmodi caſum curandum.*

Electricitatem ſexto jam anno in hoc Noſocomio proſecutus, eam mihi ſententiam annuatim firmiorem gaudeo, quod inter præſtantiſſima artis auxilia jure referenda ſit: licet enim multis fruſtra adplicetur; pluribus tamen eam ſive emendationem mali, ſive integram curationem conferre, quam nullo alio auxilio Ars præſtare potuiſſet, indies teſtatius redditur. En iterum Experimentorum hujus anni compendium.

1. Deauratores, quorum felices hiſtoriæ anno ultimo dabantur, partim pulcre ſe habere pergunt, partim ab aliquot

quot ſeptimanis, quod fere nunquam a Mercurii hauriendis vaporibus quieſcant, in antiqua mala incidere incipiunt, ideoque nunc denuo ad Machinam accedunt.

2. *Baumgartnerin* 59. ann. maligne ante biennium decumbens, nec rite judicata, dudum languit, ac tandem eouſque reſtituebatur, ut incedere utcumque, ægre tamen, inciperet. Verum integro eo biennio Dyſuria, & Stranguria, maligno morbo ortæ, miſerrime eam hucuſque excruciabant, dextraque manus tota ita debilitata manſerat, ut prehendere eadem, tenereque, poſſet nihil; ultimi autem digiti perpetuo frigerent. Hanc & ad Machinam admovi, & uvam urſinam ipſi dedi. Utroque hoc auxilio bimeſtri ſpatio uſa, ita reſtituta fuit ſanitati, ut poſt integram curationem elapſo menſe me adhuc adierit, DEO præprimis, tum & mihi, quod

utraque hac calamitate dudum jam liberata esset, gratias actura.

3. *Adam Schneider* 47. annos natus, mense Aug. 1758. illibata valetudine gaudens, dum Cithara ludit, percipit manifesto sinistro in capitis latere frigidam veluti auram suboriri, eamque sensim descendere ad Collum, pectus, brachium, & crus, ejusdem sinistri lateris; postquam tandem totum illud latus paralyticum deprehendit, mente interim semper sibi præsens. Linguam quoque impeditam in loquela, totamque genam sinistram adeo paralyticam deprehendit, ut facies tota fœdo sane adspectu dextrorsum distraheretur. Oculus porro sinister a primo invadentis mali momento tantopere debilitabatur, ut postmodum dum parum admodum eodem videret. Remediis sibi a Medico suo datis, intra XI. septimanas id lucrabatur, ut paulo expeditior fieret linguæ motus, pedique in-

insistere per momentum, bono Scipioni innixus, utcumque valeret; in cæteris per omnia idem. 7. Nov. ad Machinam primum admotus est, & 1750. 24. Febr. oculo lucratus nihil, genam perfecte restitutam gaudet, pede apto, integroque, ita fruitur, ut genu tantisper, sed rarius, titubet, brachioque etiam emendetur. Gavisus ita hac cura est, ut integram neglexerit.

4. *Magdalena Strekerin* 40. annum agens, a sexennio catameniis caret, pectore hinc anxia, multaque pituita obsesso, ægre vitam tulit. Accessit ut ineunte hoc, quem vivimus, anno, in cubitum ceciderit; tumidumque primo brachium, ac tumore remittente frigidum, immobilleque, deinceps habuerit: cunctis digitorum unguibus secedentibus prorsum, & eorum in locum difformi cornu enato. Primo quidem labefactatæ sanitati restituendæ intentus fui, eamque

consequutus, mense Majo fœminam ad Machinam electrinam admovi. Inde emendatur, sed tarde admodum; emendanda citius, si diligentius accederet: quod autem frequenter desit, id inde ortum ait, quod si 3. 4. diebus sibi subsequentibus adfuerit, artus omnes sibi vehementer doleant; ita quidem ut quiete nonnulla indigeat, antequam ille dolor evanescat. Sanitas interim corporis integra jam adest; ut etiam Brachii cura merito speranda sit.

5. *Georgius Huber* 56. ann. 3. Mart. 1759. primum ad me accedens, novendecim annos narrabat elapsos esse, quod in Lumbis, ac Perinæo, validos sit passus dolores, multosque calculos parvos eminxerit. Dolores describit sic, ut ad lumbos perpetuo oriantur, pergantque deinnceps ad inguina. Decem abhinc prægressis diebus, perceperat calculum a Rene pelli, per ureterem premi, mingique dein ceptum, in urethra subsistere,

re, & integro quatriduo ibidem hærere; urina interim guttatim modo, ac furtim, transfluente. Eo tempore rus ſibi petendum erat. Quo carpento vectus, calculum vi emiſit, urinæque ſimul ingens profluvium: redeuntibus tamen mox ſymptomatibus antiquis.

Sub ipſum hoc tempus, nempe novem abhinc diebus elapſis, contigerat, ut nocte evigilans, totum brachium ſiniſtrum ſibi paralyticum eſſe percipere, ſequenti autem die totum latus & linguam. Ex his omnibus ſola lingua jam emendatior erat.

Primum curam ſyſtemati urinario læſo adhibui, data uva urſina: a qua mox opem mirificam expertus eſt. Interea temporis fumo aromatico partes paralyticæ, totaque ſpina dorſi, egregie fricabantur. Cum ſpatio Menſis calculi ſymptomata integre ſilerent, ad Electream machinam eum cœpi adhibere.

Quarto porro die ad ipsam Machinam sentit novum descendentem a Rene calculum, qui in urethram dein pulsus, horæ spatio mox emingebatur, ubi antea urethra hoc crudeli hospite 3. 4. diebus excruciari solebat. Cum nec doluit deinde, nec calculos ultra excrevit, licet uva ursi binis modo mensibus usus esset, neglexit hucusque totam Paralyseos curam, licet hæc spem curæ minorem non daret, quam cura calculi.

6. *Benedictus Erringer*, an. 18. molitor, 5. Julii 1759. hora sexta vespertina, medio in opere suo, vertigine & somnolentia corripitur, & retrocadit, per $\frac{1}{4}$ horæ sibi non præsens. Postquam ad se redierat, pedibus insistere neutiquam potuit, uti neque integro quatriduo post. Vena 8. julii secta, coepit 8. & 10. Julii pedi initi sensim posse. Quod autem notandum, ab ipso primo mali inchoantis mom nto manus dextra

ve-

vehementer tremuit, idque diu noctuque, ut eadem perficere nihil, nihil tenere, nec cochleare ad manducandum dirigere, posset. Non enim tremor modo aderat, sed etiam digitorum perfecta Paralysis. Sic se habens adit 23. Julii Nobiliss. B. *von Swieten*; qui re examinata eum mox ad me misit, quo ad Machinam adhiberetur. Adhibui. Vix decem ictus sustinuerat, quin curatum se diceret. Perfectissimeque curatus manet hucusque.

7. *Marcus Krafft* somno obreptus, capite suo incumbit brachio dextro. Expergefactus deprehendit totum brachium, manum, digitos, omni prorsus motu carere. Sensus admodum paucus adest: pollex vero & index interne externeque frigidi, ne vellicati quidem quidquam sentiunt. Malo jam 19. diem numerante, ad Machinam accessit: vires ejus 19. diebus expertus, sanitatem integerrimam recuperavit.

8. *Sci-*

8. *Scibaldin*, me convenit 13. Sept. 1758. Hæc dudum jam cum Marito occupabatur plumbo veteri purificando, fundendo, hincque jam a dimidio anno in Colicam pictonum incidens, dolores ventris enormes patiebatur, dolores quoque ac tremores per artus universos. Dedi ipsi singulis vesperis unc. VI. Olei Lini & unc. 1½. Syrupi Diacodii, unico haustu assumendas. Unde mox levata, post decimum haustum perfectam sanitatem nacta est; solo tremore redeunte posthac, ac perseverante. Ad Machinam tunc admovi, dedique pilulas ex sap. ven. unc ½. gum. amm. Ter. fol. tart. Mas. pil. Ruf. a dr. 11. & Suffimigium ad fricandum abdomen & artus. Hinc spatio 2. mensium perfectissime curata est, curata mansit, donec cupro, aliisque metallis, & semimetallis fundendis, iterum occupata, veteris mali reditum animadvertat, jamque

ad

ad Machinam denuo accedere inchoet.

9. Tentavi an Experimentum Electricitatis succederet in curandis colli strumis scrophylisque, quemadmodum Act. Acad. Monspel. id testantur. Binas puellas per 8. menses constanter ad Machinam adplicui, ictu ad affecta loca determinato, sed frustra fui. An mala inveterata nimis?

10. Curationes Tom. 3. cap. 6. n° 17. 19. 20. 25. inceptæ, dudumque protractæ, nondum perficiuntur, spem jam minorem, jam, majorem facientes.

§. III. Atque hæc de experimentis nostris sufficiant. Addam quod de viribus electreis ad Apoplexiam mucosam mecum communicaverit celeberrimus apud Haganos C. H. *Velse*: „ Virgo inquit, honestissima 24. ætatis „ annum agens, tenerrima, nuper Apoplexia pituitosa corripiebatur, cum „ palpitationibus cordis tam irregula-

„ ri-

„ ribus, itemque adeo costas pulsan-
„ tibus, ut eas manifesto audire, licet
„ satis distans, possem; & præterea
„ cum largissimo sudoris totius corpo-
„ ris profluvio. Hæc cum morbo
„ Chronico, diversissimis symptomati-
„ bus corpus conterente, & sanguinis
„ (qui missus postridie nonnun-
„ quam in serum totus liquescebat,
„ vix phlogisticæ placentulæ superstite
„ vestigio) Missiones, sexenties for-
„ san, nunquam tamen citra summam
„ necessitatem intra quinquennium re-
„ petitas, exigente, diu luctata, &
„ adeo enervis erat, ut (in hac Apo-
„ plexia) evacuantia quæcumque ve-
„ tarentur; neque roborantibus, aut
„ spirituosis ingerendis, ob deglutitio-
„ nem prorsus sublatam, & linguam
„ exsertam, ulla spes supereesset. Quam-
„ obrem actutum Electricitatis *Neuper-*
„ *tianæ* periculum feci; sed non alio

„ cum

„ cum eventu, quam quod palpitatio
„ cordis multum remitteret, & siste-
„ retur sudoris per aliquot horas erup-
„ tio, Apoplexiæ tenore eodem per-
„ severante: usque dum, 18. inde
„ elapsis horis, secunda vice virtutem
„ electricam diu in Nasum determina-
„ rem, atque hinc primo indicia sen-
„ sus ingrati, deinde sternutationem
„ frequentem, tandem media hora post
„ Apoplexiæ sanationem feliciſſime ef-
„ ficerem. "

Demum & hoc addiderim. Genarum Paralysin & Convulsionem Chronicam, rarius curare solemus, quam desperatam relinquere. Præcipue si topicum hoc faciei vitium id unicum sit, quod toto in homine accuses. Absolvi equidem hanc curam nonnunquam, sed frequentius frustra fui. Et etiamnum fœmina adest, quæ a biennio fluxum puris dextra aure passa, tandem

anno

anno 1758. exeunte, paralysin fœdam oculi dextri dextræque genæ patitur, fluxu purulento auris nihilominus continuante. Octavo jam mense ad Machinam accedit; oculo multum, gena fere nihil lucrata; quanvis & ad originem Rami infraorbitalis secundi rami Quinti paris, & ad locum ubi portio Dura Septimi paris Aquæ ductu Fallopii emergit, pedem dictum Anserinum formatura, vis electrina peculiariter determinetur. Ut autem in topica hac Paralysi, ita quoque res se habet in Topica hujus loci convulsione: hæc etiam artem nostram ludere solet. Anatomicorum hujus Sæculi facile Princeps *Albinus*, narrabat nobis in Collegiis ejusmodi Convulsionem quondam sibi curandam datam fuisse, eamque, ad omnia rebellem, sese, Nervo infraorbitali abscisso, percurasse. Sed en alium casum, qui doceat quam expedire non-


nun-

nunquam se norit miris Natura modis! Communicavit illum nuperrime mecum integerrimus amicus, celeberrimus apud Haganos Practicus, Abrahamus *Westerhoff*, vir, cujus consilio arduis in rebus saluberrimo sæpius me usum esse gratus recordor. Casus quippe per omnia illi Albiniano similis, tum maxime annosus erat, tum ad quævis artis auxilia, vimque electricam, penitus immoriger. Consuluerat clarus Amicus eundem nostrum venerandum Magistrum qui curæ tam egregie quondam a se peractæ probe memor, eam tamen hic ambiguam suspicabatur; cum qui proprie ramus incidendus, non poterat determinare. Sed en quid tunc contigit! „ Fit interim, inquit, ut parvus tu„ mor Cysticus, mollis, enascatur in „ parte interiore labii inferrioris, con„ tinuo increscens, mobilis neque do„ lens. Quum ego & incrementum

„ nimium metuerem, &, quod ſpaſ-
„ modica affectio ingrata illa viciniam
„ conſtans occuparet, hinc mihi per-
„ ſuaderem, poſſe aliquid inde boni
„ redundare, curavi exſcindendum in-
„ tegrum. Effectu laudatiſſimo! Sa-
„ natus homo eſt, manus Chirurgi
„ tempore breviſſimo morbum ſuſtulit,
„ quo Vir nobiliſſimus per annos labo-
„ raverat, languerat, quovis pretio
„ redimere curationem dudum paratiſſi-
„ mus.

LBMV Schwerin
000 193 879
33

Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1776343972/phys_0285
DFG



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0286
DFG

io in ſe gereret.
pſam proegu-
morbi reditus,
atium ſibi am-
ac corporis
; rarefactione
Ultimis vero
itas hæc cordis
ra contrahere
plificari ſeſe,
dere ſanguinis,
rfecta eſt orta

hor explorante
quantum conti-
yſmatis, præ-
eſt? Isque ta-
, major? Dif-
tio: ſed ad fi-
ot practicis ca-
t reſponſio.

§. V.

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 23
Patch Reference numbers on UT1
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1776343972/phys_0287
DFG